

Elizabeth Calthorpe


CLARISS. VIRI

DN. ANDREAE ALCIATI EMBLEmatum libri duo,

Aucti & restituti, & perelegantibus figuris illustrati,

Cum succinctis Commentariolis,

Additus est index locupletissimus.



GENEVÆ,

Sumptibus Ioannis de Tournes Reip. & Academiæ Typographi.

M. DC. XXXIX.

IOAN. TORNÆSIVS
LECTORI S.

*

QVVM *iterum vellem hæc Emblemata prelo committere, nolui secundum librum prodire absque explicatione & illustratione locorum difficilium: alioquin mihi dicam dixisset, quòd quum ipsius fratrem commentariolis Stockhameri ornatum ederem, ipsum nudum reliquissem. Cepi igitur in manus amplissimam commentationem Claudij Minois Diuionensis, viri erudissimi, & in bonis auctoribus quàm optimè versati. Ex ea vt plurimùm excerpsi quod mihi visum fuit, in compendium redigens quæ illic fusiùs scripta erant. Non quidem semper, nec ijsdem verbis. At dicet aliquis, Debueras, aut integra commentaria Minois edere, aut ab illis omnino abstinere. Neutrum volui, nec quiui.*

Breuiter enim, & compendiosè secundus liber explanandus erat, sicuti Stockhamerus primùm commentatus fuerat. Abstinere autem manus à vigilijs Minois, id non erat in mea potestate situm. Minos enim quidquid in hac sua commentatione attulit, id ex varijs & melioris notæ auctoribus excerpsit. Si voluissem ab ipsiuss lucubrationibus abstinere, ex ijsdem fontibus cogebar haurire ex quibus Minos: & prӕterquam labor superuacuus mihi fuisset, ijsdem sententijs, immò ijsdem verbis necessariò vsus essem. Tunc qui malè de alienis vigilijs judicare solent, me omnia à solo Minoë sumpsisse judicassent. Nónne satius & honestius fuit, lucubrationibus illius doctissimi viri vti, & liberè fateri, vt ingenuè fateor, me illius erudita commentatione quamplurimum profecisse, & majori ex parte ex ea hunc secundum librum illustrasse? Quum hoc epistolium exararem, epistolam Minois ad Lectorem inspexi, quúmq; in ea mentionem vidissem fieri L. Baezæ Hispani, venit mihi in mentem, an hic Baëza forsan esset Barzius, qui

Lutetia

Lutetiæ in gymnasio Rhemensi Philosophiam profitebatur anno 1554. Quod si ita est, eruditissimúsq; Minos tunc temporis illius auditor fuerit, non parum gaudeo quòd tanti viri condiscipulus fuerim, annum tunc agens decimum quartum. Verùm vide quàm longè digressus sim ab argumento hujusce epistolij. Parce, lector, parce, inquam, si priorum studiorum recordatio jucunda & grata mihi fuit. Et quicquid meæ opellæ ad hæc emblemata attuli, id boni consule. Bene vale.

MAGNIFICO, GENEROSO,

ATQVE ILLVSTRI DOMINO

Ioanni Meneses Sotomajor, Domino in Cantanhede &c. Sebastianus Stockhamerus Germanus S.

CVM *æstate præterita contigisset, generose ac magnifice Domine, ut dum Conimbricæ esses, doctissimi Alciati emblematum lepidissimum libellum, manibus volveres, meque fortuitu intervenientem, de nonnullis eius carminibus & obscurioribus quibusdam figmentis illius interrogasses, eorum aliquot obiter recitavi: mox vel horum varietate oblectatus, vel potiùs eruditissimi Alciati festivis ac ingeniosis applicationibus allectus, enixè à me hoc ut singula dilucidiùs & aliquantulum prolixiùs scripta explicarem oratione expostulasti: quod quanquam vires meas excederet (ingenioli etenim mei exiguitatem optimè satis agnoscebam) haud improbè tamen, si quidem huiusmodi vel docta & omni ex parte elaborata, non nisi à doctissimo quopiam rectè expediri possunt. Verùm tamen aliorum multiplici persuasione, quàm tuæ magnificæ illustrisque instigatione ac iussu denique impulsus, munus id genere infirmi: iniunctam itaque, licet humeris meis longè impar, ac Ætna gravius,*

grauius, onus suscepi, meamq; operam qualemcumq; promisi. Id equidem cito citius inchoaturus fuissem atque etiam absoluisse, nisi confestim itineribus quibusdam tum ad Vlyxipponam Regiam Curiam, tum ad diuum Iacobum Compostellanum, nec non alijs intempestiuis occupationibus impeditus, huc vsque differre coactus fuissem. Verumtamen, vt confido, tritum illud vulgi dictum, Quod differtur non aufertur, mihi etiam in praesentiarum patrocinabitur. Exposui itaque sublimiorem auctoris musam, eiusq; politiorem mineruam, humili admodum, imo tenuissimo stylo, non secus ac inter suauissimas moribundi oloris cantilenas, molestus Anser obstrepit. Historias insuper & fabulas, figmenta quaedam naturalia, mirabilia denique facta, salsè facetéue dicta ex varijs auctoribus Historiographis, Poëtis, Oratoribus, atque Philosophis hinc inde collegi, & quàm fieri potuit breuiter & succincte enarraui. (Singula namque ad rem facientia si adnotari velim, prolixiora crede Iliade dicerentur) adscriptis insuper & demonstratis (si quis fortè rem certiùs aut etiam ad satietatem vsque desideraret) vbiq; classicis auctoribus. Haec quamuis exilia nimis, tantoq; Heroi oblatu indigna, qualiacumque tamen, vt soles alionum omnia generoso, nostra vel saltem aequo & hilari animo accipias, deficientisq; viribus promptam interim voluntatem vt laudes rogo: Alciati denique haec non minus iucunda & festiua, quàm docta & vtilia Emblemata, nullo prorsus peregrino encomio indigere existimo, nam omne tulit punctum qui miscuit vtile dulci: Vsque adeò etiam sibi chara & commenda-

ta esse video, ut ea (idq; meritò) non solùm intra palatia propria, verùm & peregrè proficiscens undique circumferas: Alexandri Magni, totius penè orbis domitoris, nimirum exemplo, qui (ut Plutarchus refert) etiam inter assidua bella, semper Homeri Illiadem secum, noctuq; unà cum pugione sub pulvino habebat. Ex huiusmodi namque selectissimis libellis perpulchrè quid vitio vertatur, quidve laudi simul atq; virtuti tribuatur, utriusq; etiam vel huius latus eventus, vel illius tristis casus perspicitur, ac tanquam in opposito speculo, maculae pulchritudini officientes, (ut eae extingui ac emendari possint) facilè dignoscuntur. Sed ne prolixior & fortè molestus sim, haec paucula sufficiant, quibus me magnificentiae tuae illustri (cuius obsequiis omni promptitudine sum paratus) quàm officiosissimè commendatum volo. Ex Lusitaniae inclyta Conymbricensi Academia Calen. Martij, post virgineum partum anno quinquagesimo secundo supra sesquimillesimum.

***

DE

DE ALCIATO EXCERPTA EX LAVDATIONE Cl. Minois ad Emblemata.

*

STATIM *vbi primùm ex pueris excesit Andreas Alciatus, atque eas disciplinas cœpit imbibere, quibus tenella ætas ad humanitatem solet informari: ad ius ciuile animum applicauit, primùm quidem Mediolani (nam ibi natus est, loco nobili, & celebri vrbe & copiosa, doctísque hominibus affluente) naturæ bonitate celeriter omnibus antecellere ingenij gloria visus est. Erat Italia his temporibus plena liberalium artium, in qua nempè studia omnia, quibus ingenij cultus capitur, mirificè tum colebantur. Itaque quum Alciati iam fama in aperto esset, ad quamcumque se Academiam nobilem conferre vellet, sic eius*

aduentus celebrabatur, vt famam ingenij expectatio hominis, expectationem ipsius aduentus admiratioq́ superaret. Quapropter hunc magna laude & summa omnium oblatione apud se doctorem habuere Bononienses. Ferrarienses, Ticinij, cúmque amplissimis præmijs donauerunt, & omnes quotquot in Europa de ingenijs aliquid iudicare poterant, cognitione atque hospitio dignum existimarunt Hac tanta nominis celebritate quum esset etiam exteris notus, patriam primùm sibi charissimam, armis & factionibus oppressam ad tempus deserere cogitauit, & Auenione moras trahere maluit: quo loco profitendi munus sibi demandatum, stipendio sexcentorum ornatus, magna sua laude sustinuit. Deinde à Biturigum magistratibus accitus, ipso etiam Rege, Christianissimo procurante, secundo quàm eò venerat anno, duplicatum habuit honorarium, & mille ducentis est donatus. Fuit illis temporibus iucundus Antonio à Prato Galliarum Nomophylaci, Ioanni Seluæ principi Senatus amplissimo, multisq́ legationibus in

primis

primis illustri ac nobili: cultus tum à Budæo, tum ab Erasmo, quorum alterum rarissimum Franciæ lumen non iniuriâ possumus appellare; alterum, literatorum huius temporis in Germania primum: adamatus à Bembo, Cardinali doctrinæ laude commendatissimo: cultus denique ab omnibus ijs qui virtutem & literarum gloriam adamabant: quos omnes, quamdiu vixit, deuinctos sibi consuetudine tenuit. Sed confecto tam longo itinere, à suo tandem Principe reuocatus (ferè fit enim vt ipsa virtus in proprio & natali solo non nisi serò admodum cognita, ad extremum excipiatur, excepta reficiatur, refecta præmijs exornetur) à suo, inquam, Principe in patriam reuocatus, post ancipites variosq́ casus & labores nomine publico exantlatos, in ordinem Senatorum honorificè cooptatus est. quam accessionem, vt ipse affirmabat, ne quidem cogitans, honore omni maximo dignus, impetrauit. Eam verò præstantis ingenij & eruditionis famam permultùm auxit libris editis, quibus & suæ ætatis hominibus & posteris consulere

sibi

ſibi propoſuerat. Et quidem intelligebat eos qui verè docti eſſent, non ſolùm quum viui ſunt ac præſentes, ſtudioſos diſcendi erudire atque docere, ſed hoc idem etiam poſt mortem monumentis literarum aſſequi. In quo ſuam fidem & ſtudium tam mirificè probauit, vt nullus hodie ſit eleganti & polita cognitione tinctus, quin hujus ingenium ſuſpiciat. & paulò poſt, *Quid loquar de Alciati admirabili dicendi peritia, déque literarijs monumentis ab eo editis, quæ omnia non augeri verbis, nedum illuſtrari poſſe certò ſcio?* & paulò pòſt, *Quamobrem ſi certò teneam, numquam, aut rarò admodum, parem gloriam eſſe in dicente vel ſcribente, atque in eo cuius laudes oratione celebrantur: tamen rei difficultate nullo modo deterritus, non poſſum quin pro ingenij mei tenuitate Alciatum commendem: quod ipſum tamen cùm pro tantilla mea facultate vix conſequor, vt certè cuperem, huius meæ vocis teſtes aduocabo potentiſſimas & nobiliſſimas in Europa gentes, à quibus raram & exactam Doctoris huius ornatiſſimi eruditionem*

tionem probatam fuisse à patribus accepimus. Primùm, testis est Italia, bonorum ingeniorum parens, quæ hunc, &c. & paulò pòst, *Testis Gallia, quæ eum Biturigibus, &c. Testis Germania, quæ præ cæteris semper industrios & sollertes homines habuit: quorum opera factum, vt literarum cultus & exercitatio pridem extincta Gothorum incursionibus, cœperit hac tandem mundi senectute reuiuiscere. Testes exteræ nationes omnes, in quibus tamen est aliqua humanitas atque institutio liberalis: quæ omnes vno ore, vnoque consensu Alciatum excipiunt: ambabus, quod aiunt, vlnis amplexantur, adamant, exornant, &c.* & paulò pòst, *In Alciato puram, tersam, & antiquam dictionem nullus, vt opinor, desiderabit: acumen logicum non abest a præclara illa fabrica & inuentione rerum tam multarum: non iudicium & ordo, quo res tam variæ colligerentur: non historia rerum permultarum: non philosophia morum & naturæ, quæ tota in omnibus Emblematis occupatur: vt quemadmodum in Homero plerique vete-*

rum dixerunt esse disciplinarum omnium officinam quandam locupletem: ita in Alciatum liberrimè concurrunt, quæ hominis eruditi & ingeniosi laudatam aliquam ideam possint effingere.

In

In titulum libelli.

Emblemata dicuntur quæcunque solùm ornatus gratia alicui rei inseruntur, propriè tamen sculpturæ & opera illa vermiculata, seu lapidibus quadratis variisq́, coloribus extructa. Et hujusmodi olim plerumque pauimentis, parietibus tam ligneis quam lapideis, atque etiam argenteis & aureis exsculpta inhærebant, vt & hodie plurimum in vsu esse figulina & vitrea opera, pręsertim apud Hispanos in Templis & palatiis videmus. Hinc metaphoricè etiam ad Orationes artificiosè & egregiè compositas retorsit Cicero variis in locis. Sic etiam auctor ingeniosas picturas, variasq; lepidas hujus libelli sententias, Emblemata appellauit. De hoc insuper vocabulo plura Budæus in Annotationibus suis ad Pandect. & eleganter Crinit. lib. 22. cap. 1. de honesta disciplina.

CLAR. ISS. VIRI D. ANDR.

ALCIATI IN LIBRVM primum Emblematum præfatio, ad D. Chonradum Peutingerum Augustanum.

*

Dum pueros iuglans, iuuenes dum tessera fallit,
Detinet & segnes chartula picta viros:
Hæc nos festiuis Emblemata cudimus horis,
Artificum illustri signaque facta manu.
Vestibus ut torulos, petasis ut figere parmas,
Et valeat tacitis scribere quisque notis.
At tibi supremus pretiosa numismata Cæsar,
Et veterum eximias donet habere manus.
Ipse dabo vati chartacea munera vates,
Quæ, Chonrade, mei pignus amoris habe.

Hic Peutingerus, cui dicata ab Alciato sunt hæc Emblemata ciuis erat Augustanus, honesta familia ortus, iuris doctor, & Maximiliano Cæsari à consiliis. De eo plura vide apud Andream Cratandrum in epistola editionis Ciceronis operum præfixa: apud Henricum Pantaleonem Prosopographiæ parte tertia, & Erasmum epistola .8.

Andreæ

Andreæ Alciati Em-
BLEMATVM LIBER
PRIMVS.

*

Ad illuſt. Maximil. ducem Mediol. Emblema



Exiliens infans ſinuoſi è faucibus anguis
Eſt gentilitijs nobile ſtemma tuis.
Talia Pellæum geſſiſſe numiſmata regem
Vidimus, hiſq; ſuum concelebraſſe genus.
Dũ ſe Ammone ſatũ, matrem anguis imagine luſam
Diuini & ſobolem ſeminis eſſe docet.
Ore exit, tradunt ſic quoſdam enitier angues:
An quia ſit Pallas de capite orta Iouis?


COMMENTARIA.

Describuntur hîc insignia siue arma familiæ ducis Mediolani (est autem Mediolanum ciuitas metropolis illius ducatus Insubriæ, in Italia, non procul ab Alpibus) quæ, vt hîc depicta, sunt, infans seu puerulus prosiliens ex ore serpentis. Laudantur autē ab antiquitate & celebritate primi inuentoris: quia Pellæus (id est, Alexander Magnus, sic dictus à Pella vrbe in qua natus. vnde Iuuenalis, Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis) olim talia numismata cudit, & ex simili figura, originem & stirpem suam celebrem jactauit, dicens se diuinitus ortum. Mater nanque ejus Olympias confessa erat palàm, Alexandrum se non ex Philippo marito suo, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse, &c. vt pulchrè Iustinus lib. 11. & Q. Curtius passim. Ammon verò aliàs Hammon Iupiter dicitur, in specie Arietis, in quem transformatus fuit, vt canit Ouid. lib. 5. Metamorph. Bacchus enim quum jam tota debellata Asia, in Libya per desertum exercitum duceret, & in sicca arena maxima omnes siti premereatur, ille patris sui (Iupiter autem fuit, vt infrà dicetur) præsidio implorato, confestim Arietis ductu, amœnissimum inuenit fontem. Illum autem Iouem fuisse existimans, ideo in illa arena fasti-

gio si

gioſiſſimum Templum ei extruxit, in eoq; ſimulacrum Arietis poſuit, & Ammonem vocauit, id eſt, Arenarium Græcis enim ἄμμος arena dicitur. ſed de his plura Suidas. Egreditur autem puer ex ore ſerpentis, vel ideo quia quoſdam angues ſic parere aiunt, vel quia Pallas, id eſt, Minerua, ſapientiæ dea ſimiliter ex capite Iouis nata fingitur. Vt omnia hæc pulchrè per ipſum auctorem Alciatum in libro ſuo, quem ſcripſit de ſingulari certamine, cap. 43.

Fœdera. II.



Hanc citharam à tempi, quæ forma halieutica fertur,
Vendicat & propriam Muſa Latina ſibi,
Accipe Dux, placeat noſtrum hoc tibi tempore munus,
Quo noua cum ſocijs fœdera inire paras.

Difficile est, nisi docto homini, tot tendere chordas:
Vnaq; si fuerit non bene tenta fides,
Ruptáve (quod facile est) periit omnis gratia conchæ,
Illeq; præcellens cantus ineptus erit.
Sic Itali coeunt proceres in fœdera: concors,
Nil est quod timeas si tibi constet amor.
At si aliquis desciscat (uti plerunq; videmus)
In nihilum illa omnis soluitur harmonia.

COMMENTARIA.

Quoniam Dux Mediolanensis noua fœdera cum quibusdam inire constitueat, assignat sibi Auctor Citharam, quæ ab aliis Lutina vocatur, musicale instrumentum vndecim fidibus, cujus forma est lembi, id est, nauiculæ paruulæ piscatorum, vt dicitur in halieutica, quod est in libris de piscibus, & arte piscatoria tractantibus, de quibus Plin. lib. 32. cap. 2. Et à simili quemadmodum difficile est (nisi perito Musico) tot chordas ad jucundam & perfectam consonantiam construere: si enim illarum vna tantum non rectè coaptata ruptáve fuerit, mox omnis sonus ille à dulcissimus & suauissimus perit omnino, fitq; ineptus, & auditui molestus. Sic etiam qui coëunt in fœdera, donec erunt concordes & vnanimes, nihil illis timendum. Cæterùm si eorum aliquis à vero illo & syncero amore declinauerit (sicut plerumque fit) tota confestim harmonia, id est, suauis ille concentus corruet.

In silentium. 111



Quum tacet, haud quicquam differt sapientibus amens,
Stultitiæ est index linguaq; voxq; suæ.
Ergo premat labias, digitoq; silentia signet,
Et sese Pharium vertat in Harpocratem.

COMMENTARIA.

Satius longè ac honestius est silere, & taciturnũ esse, quàm verba fundere ceu loquacem. Stultus enim quum tacet, nihil prorsus differt à sapiente, quia sermo & loquela iudicium erit stultitiæ & ignorantiæ suæ. verba sunt Solomonis Prouerb. cap 17. Sic olim Solon Philosophus ille sapientissimus, quum in frequenti quodam hominum conuentu multis multa loquẽtibus, ipse verò nihil diceret, interrogatus à Periandro vtrum ob verborum

inopiam, an quia stultus esset, taceret? respondit, neminem stultum tacere posse. Sic & Diuinus ille Plato interrogatus per quid cognoscerentur homines: respondit, homines & vasa figlina simili modo probari, hæc quidem ex sono, illos verò ex sermone facilè cognosci: quia imò rectè etiam Zeno Stoicorum Philosophorũ Princeps, cuidam inepta & nihil ad rem loquenti sic dixit: Idcirco aures habemus duas & os vnum, vti plura audiamus, loquamur pauca: affirmat Diogenes Laërtius lib.7. de vita Philosophorum. Digito igitur os & labra comprimenda erunt, vt fecisse fertur Harpocratem, quem silentij & taciturnitatis deum Aegyptij celebrabant. Pharius autem dicitur, sumpta denominatione ab insula Pharo prope Alexandriam, in qua ille natus fuit. Plin. lib.5. & lib.13.cap.11. & Volaterran. folio 338.

Etiam ferocissimos domari. IIII.

Romanum postquam eloquium Cicerone perempto,
Perdiderat patriæ pestis acerba suæ:
Inscendit currus victor, iunxitq; leones,
Compulit & duum colla subire iugum:
Magnanimos cessisse suis Antonius armis,
Ambage hac cupiens significare duces.

COMMENTARIA.

Popilius Lenas, executor M. Antonij, ejus iussu



iussu Ciceronem proscriptum & ad mare fugientem (vt minas & crudelitatem Triumuirorum euitaret,) insecutus est, & interfecit, apud Formias oppidum. Caput autem Ciceronis ad M. Antonium pertulit, &c. Auctor est Appianus libro 4. Ciu. l. bellor. Qui tanquam victor currum ascendit triumphalem, conjunctis duobus leonibus illum vehentibus, vt ex Plin. refert Crinit. lib 16. cap. 10. de honesta discipl. significare volens, vti ferocissimos leones, sic etiam plurimos magnanimos & potentes principes sibi obedire, à seq; victos esse. Notatur hîc insolentia & superbia, quæ semper & à natura victoriæ inest, vt exclamat Cicero in Oratione pro M. Marcello. Quemadmodum autem in abscissum Ciceronis caput ignominiosè sæuierint M. An-

tonius & vxor ejus, recitat idem Crinit. lib. 1. cap. 8.

Gratiam referendam. V



Aërio insignis pietate Ciconia nido,
Inuestes pullos pignora grata fouet.
Taliaq; expectat sibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit, sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

COMMENTARIA.

Inter omnes aues Ciconia pietatis symbolum gerit: nam parentes senecta defectos vicissim alit, & volandi impotentes humeris gestat, vt Athenæus attestatur, & Homer. lib. 4. Iliad. Isidorus in lib. de natura Auium. Item de immensa Ciconiarum pietate Plin. lib. 10.

cap.

cap 13. & pulchrè Aristophanes in Auibus. Ciconiæ magna cura alunt vicissim parentes jam ætate deficientes, sola bonitate naturæ ad id agendum impulsæ, inquit Ælian lib 15. cap 4. Ideóque Ciconiæ imaginem exsculpi olim solitam super sceptris regum, quo eorum pietas atque justitia indicaretur, refert Crinit. lib. 4. cap. 13.

Concordia. VI



Cornicum mira inter se concordia vitæ est,
Inq; vicem nunquam contaminata fides.
Hinc volucres hæ sceptra gerunt, quòd scilicet omnes
Consensu populi stantq; caduntq; duces:
Quem si de medio tollas, discordia præceps
Aduolat, & secum regia fata trahit.

COMMENTARIA.

Peramanter, & fideliter mutuam inter se fidem & amicitiam conseruant Cornices: quod si alterutra moriatur, altera, quæ ei superstes est, ad extremum vitæ diem vidua permanet: & idem maritus nullam in posterum aliam ambit conjugem, exigens vitam in orbitate. Ælian. lib. 15. cap. 36. Idcirco hæc sceptra tenent, demonstrantes omnes Principes consensu & vnanimitate populi tantùm consistere & cadere: hoc enim sublato, illico discordiæ ortæ totum facilè Principis statum secum rapiunt & dissipant. Concordiâ enim (vt inquit Sallustius) paruæ res crescunt, discordiâ verò maximæ etiam dilabuntur.

Potentissimus affectus amor. VII.



Aspice vt inuictus vires auriga leonis,

Exp-

Expressus gemmâ pusio vincat amor:
Vtq; manu hic scuticam teneat, hic flectat habenas
Vtq; sit in pueri plurimus ore decor.
Dira lues procul esto, feram qui vincere talem
Est potis, à nobis temperet anne manus?

COMMENTARIA.

Videre est, mirum, quàm sit fortissimus auriga paruulus puer Cupido (Amoris Deus, filius Veneris, qui à variis variè describitur) adeóque vt etiam vires ferocissimi Leonis superet audaculus. Dextra flagellum tenet, sinistrâq; loros & habenas dirigit, faciemq; interim monstrat blandam & amabilem. Sed absit longè & pereat hujusmodi lues: si enim bestiam vsque adeò feram, domare & vincere potest, quanto faciliùs nos imbecillos homines superaret? Res immoderata Cupido est, inquit Ouid. lib 4. de Ponto. Sed videndus est de hac re omnino Crinit. lib 16 cap 4. de honesta discipl. Quem obsecro non vincit Amor, vel etiam sanctissimos viros? Quis Dauide sanctior? quis Salomone sapientior? quis Sampsone fortior? Amore tamen superati omnes.

Non vulganda consilia. VIII.

Lumine quod cæco, obscura & caligine monstrum
Gnosiacis clausit Dædalus in latebris:
Depictum Romana phalanx in prælia gestat,

Seminis



Semiuiróq; nisent signa superba boue.
Nosq; monent, debere ducum secreta latere
Consilia, auctori cognita techna nocet.

COMMENTARIA.

Pasiphaë filia Solis, vxor Minois Regis Cretensis, in nefandum amoré tauri delapsa fuit, adeóque exarsit, vt pateretur se includi lingnæ vaccæ, quo tauro illo potiretur: Diodor. libro 5 Vergil. Aeglo 6 Ouid. libro 1. de Arte aman. & Higini Fabula 49. Ex quo concepit & genuit horribile monstrum formam habens partim hominis & partim tauri, vnde appellatum est Minotaurus: semibouemque virum, semiuirumq; bouem. Ouid. lib. 2. de Arte amandi. Idem libro 8. Metamor. Vergil. lib 6. Aeneid. Minos autem Rex volens monstrum illud Minotauri ex hominum oculis occult

occultare, iussit Dædalū (Atheniensem artificem ingeniosissimū, qui etiam ligneam illam vaccam, de qua sup. à fabricauerat) præparare & extruere sibi labyrinthum, ædificium inextricabilibus erroribus clausum, adeò vt quicunque ingrediebatur, vix vnquam iterum egredi poterat: in quo Minotaurū abscondidit. Auctores sunt proximè citati. Hanc picturam Minotauri olim Romani in suis vexillis bellicis gerebāt significantes secreta principum consilia debere esse multum abscondita: ea enim prodita & reuelata, ipsimet auctori erunt nociua: haud etenim temerè, præsertim hi qui Reipubl. aliisve arduis præsunt negotiis, animi consultationes, nec intimis etiam amicis committere debent: Cæcilij Metelli viri summæ prudentiæ atque consilij exemplo, qui (vt Valer. Max refert) cuidam suo amico, quid ille in re quadam magni momēti acturus esset, interrogāti, ita respondit ingeniosè: Tunicam, inquit, hāc meam rescinderem & abijcerem, si eam scire meum consilium existimarem. Responsum hoc argutum extollitur etiam à Crinito lib. 19 cap. 7

In victoriam dolo partam. I

Aiacis tumulum lacrymis ego perluo virtus,
Heu misera albentes dilacerata comas.
Scilicet hoc restabat adhuc, vt iudice Græco

Vin-



Vincerer, & causa stet potiore dolus.

COMMENTARIA.

Virtus ipsa ejulans Ajacis defflet sepulcrum (quod est prope Sigæum promontorium Troiæ, Plin. lib. 5. cap. 30.) ob id nimirum, quòd illa dolo suppressa & victa fuerit, quodque Græci contra eam iniquè judicauerint. Hoc ideo, quia quum Aiax fortissimus heros, interfecti Achillis arma peteret (quæ meritò sibi ob strenua sua facta virtutesq; eximias, de quibus apud Homerum, cessissent,) Vlysses fraude & calliditate sua tantum effecit, vt Græci Iudices, spreto Aiace, sibi arma illa adjudicauerint: quod adeò molestè tulit Ajax, vt ad insaniam peruenerit, ac tandem ob iram & verecundiam semetipsum necauerit. perpulchrè Ouid. lib. 13 Metamor. Sic

doli-

doli causa potior fuit quàm ipsius virtutis: quod quidem & hodie haud rarum est, virtutique; flendi causa datur frequentissima.

Reuerentiam in matrimonio requiri. X.



Quum furit in Venerem pelagi se in littore sistit
Vipera, & ab se m.cho dira venena vomit:
Murænamq; ciens ingentia sibila tollit,
At subitò amplexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reuerentia, coniunx
Alternum debet coniugi & obsequium.

COMMENTARIA.

Vipera, nequissimum genus serpentis & astutissimum, libidine coëundi exæstuans, ad littus progreditur, ibiq; sibilãdo præsentiam suam testatur, & sponsam suam murænam allicit.

licit, ad omne venenum euomitione eiicit, vt suauis sponsus suæ sponsæ videatur. Muræna verò protinus è mari egreditur, atque ambo mutuam libidinem explent: mox hæc ad mare regreditur: illa verò resorpto iterum veneno ad latibulum suum etiam reuertitur. Auctores sunt Ælian. lib. 12 cap. 5 & cap. 23. Plin. lib. 9. cap. 23. & Cælius antiquarum lectionum lib. 16. cap. 13. Muræna piscis marinus est à nonnullis Lampetra putatur, sed falsò, de qua Plin. loco citato. Sic etiam inter humana consortia, matrimonialis reuerentia plurimũ aduertenda & obseruanda erit, vt vir vxorq; sponte alterna exerceant obsequia.

In auaros, vel quibus melior conditio ab extraneis offertur. XI.



Delphini insidens vada cærula sulcat Arion,
Hocq; aures mulcet, frænat & ora sono:
Quam sit auari hominis, nō tam mens dira ferarū est:
Quiq; viris rapimur, piscibus eripimur.

COMMENTARIA.

Arion Musicus & Citharœdus excellentissimus, ex Lesbo insula, qui quum peregrè arte sua magnos fecisset quæstus, tandem in patriam nauigaturus, nautæ, vt pecuniā ejus lucri facerent, illum è naui in pelagus demergere decreuerunt: qui postquam ab eis modicum spatij impetrasset, assumptâ Citharâ quàm dulcissimè lusit, adeoq; vt Delphinis suauitate cantus congregatis, se quum in mare præcipitē daret, super dorsum vnius exceptus, & ad litus incolumis reductus fertur. Hunc Apologum pulcherrimum vide prolixiùs apud Aul. Gell. lib 16. cap. 19 pariter apud Ouid in Fastis. Et quàm hominum sit amator Delphinus attestatur idem Gel lib. 7. cap 8 Plura denique de eodem & eius natura Plin. lib. 9 cap. 8. Ostenditur nec irrationalis animantis mentem tam crudelem esse, quam animum hominis auari: etenim à viris perdimur, à piscibus liberamur: vt non immeritò exclamet Poëta:

Quid non mortal a pectora cogis
Auri sacra fames?

b *Amicitia*

Amicitia etiam poſt mortem durans. XII.



Arentem ſenio, nudam quoq; frondibus vlmum,
Complexa eſt viridi vitis opaca coma:
Agnoſcitq́; vices naturæ, & grata parenti
Officij reddit mutua iura ſuo.
Exemploq́; monet, tales nos quærere amicos,
Quos neq; disiungat fœdere ſumma dies.

COMMENTARIA.

Vitis luxurians, frondibus & pampinis ſuis circumdans & ornans vlmum arborem præ ſenio jam penitus putridam & areſactam, priſtinam adhuc naturam agnoſcens, quámque olim ſæpius ſuccreſcendo ſuſtentaculi parentisq́; loco habuerat, eam nec jam quidem, licet aridam & ſiccam deſerit ſpernitve, verùm adhuc

adhuc

ad huc etiam exornat: in hunc ferè modum apud Ouid.lib.2.de Tristib.

Vidi ego pampineis ornatam vitibus vlmum,
Quæ fuerat saeuo fulmine tacta Iouis.

Tales nobis amicos quærere decet, qui extremo in periculo, vel etiam post mortem, veri amici permaneant: synceræ namque fidei amici præcipuè in aduersis rebus cognoscuntur, inquit Valer Max.in præfatione sua tituli 7.de amicitia, lib 4.

Nec verbo, nec facto, quenquam lædendum. XIII.



Assequitur, Nemesisq; virûm vestigia seruat,
Continet & cubitum, duraq; fræna manu.
Ne male quid facias, néve improba verba loquaris:
Et iubet in cunctis rebus adesse modum.

COMMENTARIA.

Nemesis dea indignationis fingitur, vltrix malitiæ & superbiæ. Idcirco virum vndique sequitur, altera manu cubitum reprimens, altera verò frænum gerens, quo significare vult non solùm à malefactis manuum abstinendum, ne proximus lædatur, verumetiam linguam refrænandam esse, vt denique in omnibus hominum factis dictisq; æquus obseruetur modus. De Nemesis imagine, nominibus, & potestate scribit Crinit lib. 19. cap. 6. de honesta disciplina.

Desidiam abijciendam. XIIII.



Quisquis inpes abeat in chœnice figere sedem
Nos prohibent Samij dogmata sancta senis.
Surge igitur, duraq; manus adsuesce labori,

Det tibi dimensos crastina vt hora cibos.

COMMENTARIA.

Chœnix mensura olim erat apud Græcos, qua seruis pro qualibet die frumentum in cibum mensurabatur, vnde frequenter admonuit Samius (Pythagoras doctiss. Philosophus, Samius à patria dictus, vt refert Iustin. lib 20. histor.) ne quis piger insideret Chœnici, significans ex æquo futuri habendam curam, vt refert Diog. Laërt. lib.8. de vita Philosoph. Inculcabat denique hoc symbolo, otio non indulgendum, sed strenuè laborandum esse, & sua quęque industria sibi vitæ necessaria lucrari debere. Vide Plutarchum. Labores enim bonis viris obsonium esse, inquit Xenophon in OEconomicis. De fugienda denique desidia perpulchrè Crinit. libro 2. Poëmatum.

Paupertatem summis ingenijs obesse ne prouehantur. XV.

Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas:
Vt me pluma leuat, sic graue mergit onus.
Ingenio poteram superas volitare per arces.
Me nisi paupertas inuida deprimeret.

COMMENTARIA.

Adolescentulus quidam proponitur, cui manu dextra ponderosus dependet lapis, sinistræ verò ejus alæ affixæ sunt leuissimæ. Vtique



que hæ in altum eleuant, sic onus illud graue alia ex parte deprimit. Ostendens plurimos ob ingenij felicitatem celebres & claros futuros, nisi paupertas inuida depressos retineret. Est etenim illa molestum pondus, vt plerique nosse nollent, plurium namque quotidianus est cibus. Et paupertatis vnicum incommodum habere sapientem dixit Archytas Philosophus.

In Occasionem. XVI.

Lysippi hoc opus est, Sicyon cui patria: tu quis?
Cuncta domans capti temporis articulus.
Cur pinnis stas? vsque rotor. talaria plantis
Cur retines? passim me leuis aura rapit.
In dextra est tenuis dic vnde nouacula? acutam
Omni acie hoc signum me magis esse docet.
Cur in fronte coma? occurrens vt prendar. at heus tu

Dic



Dic cur pars calua est posterior capitis?
Me semel alipedem si quis permittat abire:
Ne possim apprenso postmodò crine capi.
Tali opifex nos arte, tui causa ædidit, hospes,
Vtque omnes moneam pergula aperta tenet.

COMMENTARIA.

Lysippus cujus meminit Martialis, nobilis & insignis sculptor, (ejus patria Sicyon vrbs in Laconia erat, cujus egregia opera Plin. variis in locis commendat) hanc statuam fabricauit, quæ Occasio dicitur, id est opportunitas temporis rectè absernata, omnia regens & gubernans, teste Plutarcho in vita Niciæ. Stat autem pinnis, id est, calamis durioribus rotundis: semper enim labitur, nec vnquam firma permanet, in pedibus talaria, id est calceos alatos (vt etiam Mercurius) gerit, per

aërem etenim ad omnia loca volitat. Dextra nouaculam tenet, significans illam quauis re acutissima magis acutam: in fronte solùm capillata, vt occurrens statim apprehendatur, retro verò calua est: quippe semel amissa, post terga capi ampliùs nequit. Ita etiam Cato ille grauissimus eam describit, inquiens: Fronte capillata, post hæc Occasio calua. Stat autem pergula, hoc est alto eminentiq; loco, vt facile videri possit, & omnes admoneat.

Ocni effigies, de his qui meretricibus donant quod in bonos vsus verti debet. XVII.



In[illegible] funem contexere sparto,
Humid[illegible] fila m[illegible].
Sed quantum manibus vix torquet strenuus heros,

Prot

Portinus ignaui ventris asella vorat.
Fœmina iners animal facili congesta marito
Lucra rapit, mundum prodigit inq; suum.

COMMENTARIA.

Quidam in Ionia regione Asiæ, nomine Ocnus, homo industrius & laboriosus, atque operi assiduè intentus erat. Habebat is vxorem adeò sumptuosam ac prodigam, vt quicquid ille suo labore corraderet, id mox ab illa dilapidaretur. Inde prouerbium dicebatur in hominem in re quapiam elaborantem, quæ nihil adferret emolumenti Hic torquet funiculum Ocni. Auctor est grauissimus rerum Græcarum scriptor Pausanias in Phoc. Pingitur itaque strenuus restio, conficiendis funibus nunquam non occupatus, sed quantum miser longo tempore assiduoq; labore contorquet, hoc totum subitò ignaua deuorat Asella. Sic fœmina, desidiosum, luxuriosum & perniciosum animal, facilè viri laboribus ac sudore quæsita (vt ait Hesiodus) sua lasciuia & prodigalitate absumit: rectè itaque Lacon quidam, qui cum vxorem duxisset, pusillam & paruulam, dicebat, è malis quod minimum esset, eligendum.

Virtuti fortuna comes. XVIII.

Anguibus implicitus geminis caduceus, alis,
Inter Amalthææ cornua rectus adest.



Pollentes sic mente viros fandiq́; peritos
Indicat, vt rerum copia multa beet.

COMMENTARIA.

Mercurius, filius Iouis & Maiæ, orationis & eloquentiæ Deus Deorum que interpres & nuncius habitus fuit. Hic virgam ab Apolline dono acceperat, qua ad dissidia & contentiones tollendas vtebatur: eam nanque manu gerens quum in Arcadiam proficisceretur, inuenit duos dracones simul ligatos & inter se mutuò pugnantes: ille autem virgam interpòsuit. Quo facto repentè prælium diremptum fuit. Hinc illam pacis gratia constitutam esse dixit: deinde Aegyptij hanc virgam circundatam duobus Draconibus masculo & fœmella figurauerunt, & Caduceum appellarunt, junctis etiam alis & galero ejusdem

Mercu

Mercurij, de quo copiosiùs Perottus. Macrob. lib. I. Saturnal. & præter has plures virtutes enarrat Virgil. lib. 4. Aeneid. Stat autem caduceus erectus inter cornua Amalthææ, quæ fabula à nonnullis sic narratur: Rhea quum Iouem peperisset, metu patris illum infantulum in Creta insula occultauit, ibique duæ Nymphæ illum nutricauerunt, lacte cujusdam capræ, cui nomen erat Amalthea: Iupiter verò jam adultus, vt gratiam referret iis, à quibus nutritus fuerat, ipsam capram inter sydera retulit, quæ etiam nunc capra cælestis appellatur. Hujus alterum cornu Nymphis nutricibus dedit, in præmium officij in eum collati, ea imbutum virtute, vt quicquid illæ vellent seu optassent, id statim ex eo cornu abundanter prosiliret. Ad hunc ferè modum Erasm. in Chiliad. Aliter tamen Ouid. lib. 9. Metamor. recitat. Hæc igitur innuit pictura, viris eloquentibus & ingeniosis, qui per Mercurij sceptrum seu Caduceum significantur, Copiæ cornu, id est, felicem & prosperam fortunam, omniumque rerum abundantiam facilè adjungi.

Ex pace vbertas. XIX.

Grandibus ex spicis tenues contexe corollas,
Quas circum alterno palmi e vitis eat.
His comptæ Alcyones tranquilli in marmoris vnda
Nidifi



Nidificant, pullos inuolucresq; fouent.
Lætus erit Cereri, Baccho quoq; fertilis annus,
Aequorei si rex alitis instar erit.

COMMENTARIA.

Contextus, vt fingit auctor, paruus nidus ex magnis tritici spicis, ramis etiam & fructibus vitis circundatus in Mari tranquillo super marmore positus, conueniens erit vt in eo nidificent Alcyones, aliàs Alcedines: aues sunt maritimæ, quæ hyberno frigidissimo tempore, maximis tempestatibus existētibus, in Mari pariunt. Tantam autem gratiam diuinitus habet illa auicula, vt statim quum oua ponat, omnes venti ac procellæ mitescant, placidum denique & tranquillum reddatur mare per 14. dies, quos & nautæ diligenter obseruant, eo tempore nullam penitus tempestatem verentes,

rentes. Auctores sunt Ouid. lib. 11 Metam. Plaut. in Pœnulo, Plin. lib. 10. cap. 32 & Ambr. libro hexam. Aelianus etiam libro 15. cap. 19. histo. animalium. Similis his auiculis si erit Rex, suos subditos in pace & tranquillitate regens & fouens, ejus etiam tempora Cerere & Baccho, tritico & vino cæteri q; rebus necessariis erunt fertilissima: Ceres enim, inuentrix frugum, Bacchus verò vini plantator primus fuit.

In eos qui supra vires quicquam audent. XX.



Dum dormit, dulci recreat dum corpora somno,
Sub picea, & clauam cæteraq; arma tenet,
Alciden Pygmæa manus prosternere letho
Posse putat, vires non bene docta suas.

Exitus

Excitus ipse, velut pulices, sic proterit hostem,
Et sævi implicitum pelle leonis agit.

COMMENTARIA

Alcides, id est, Hercules, sic dictus ab Alceo auo suo paterno, seposita claua cæterisq; armis suis, sub picea vel pinu arbore decubuit dormiens: quem vt videre Pygmæi (homunciones sunt paruuli in India, vnius tantùm cubiti staturæ, qui cum auibus certant, de quibus Plin. lib. 7. cap. 2.) cogregata magna turba interficere illum moliuntur, ignari suarum virium. Hercules enim expergefactus miserè illos in induta pelle Leonis (in Nemæa namque sylua ingentem Leonem jugulauit, cujus detracta pelle semper vestiebatur, vt apud Theocrit. & Diodor. Siculum) tanquam pulices implicitos conterit, laniatque. Quia idem in nostræ tempestatis Pygmæis videre est, qui dum temerè, vltraque vires nimis ardua nituntur, contráque Herculem dormientem insurgunt, miserè tandem vti sorices pereunt, ignari prouerbij, Quum sis nanus, cede.

Princeps subditorum incolumitatem procurans. XXI.

Titanij quoties conturbant æquora fratres,
Tum miseros nautas anchora iacta iuuat.
Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imis
Tutiùs

Tutiùs vt posŝit figier illa vadis.
Quàm decet hæc memores gestare insignia Reges,
Anchora quod nautis, se populo esse suo!



COMMENTARIA.

Titanij fratres, gigantes fuere ex Titane nati & à poëtis pro ventis ponuntur. Quotiescumq; igitur ventorum procellis ac tempestatibus mare commouetur & sæuit, mox trepidi nautæ ad anchoram confugiant, eámque in mare projectam statim Delphin (piscis maris celerrimus, ac præcipuus hominum amator, vt ex Plinio & Gellio suprà Emblemate XII. probauimus) in imo fundo amplectitur, vt videlicet fortior firmiorq; illa subsistat, eò etiam tutiùs nauigantes conseruētur. Hujusmodi enim verò stemmata atque insi-

gnia

gnia peregregiè Regibus conueniunt: hi enim ſuis ſubditis non ſecus ac nautis anchora in ſummis neceſſitatibus præſidio eſſe poſſunt. Inde etiam adagio dicitur in extremo diſcrimine laborantibus, ſacram anchoram ſoluere, vt Eraſm. in Chiliad.

Mutuum auxilium. XXII.



Loripedem ſublatum humeris fert lumine captus,
Et ſocij hæc oculis munera retribuit.
Quo caret alteruter, concors ſic præſtat vterq;,
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

COMMENTARIA.

Cæcus quidam quum abſq; periculo ſolus incedere non poſſet, ſocium ſuum loripedem nequicquam ſe mouere conantem humeris ſuperimpoſuit, qui dum lumine capto viam monſtrat, ipſe viciſſim portatus commodum

non

non modicum sentit: donec igitur concordes erunt, facilè alter alterius defectum supplebit ex Græco epigrammate desumptum est: quod ô vtinam hodie nostri Principes facerent, fieri non potest quàm bene & prosperè Reipub. Christianæ prospectum foret.

Ex arduis perpetuum nomen. XXIII



Crea.a ra [illegible] *r,*
E bene ni [illegible] *sa* [illegible] *ferens*
Gl [illegible] *p* [illegible] *es, m* [illegible] *mq; pa* [illegible] *m*
S x us & ali grus [illegible] *e.*
Hæ, [illegible] *C* [illegible] *has* [illegible] *libris*
Sunt l [illegible] *, cu* [illegible] *f* [illegible] *pe* [illegible] *.*

COMMENTARIA.

Calchas Græcus augur valde celebris (qui

c quum

quum diuinandi certamine à Mopſo victus eſſet, præ mœſtitia periit, vt feſtinè Leonicus de varia hiſt. lib. 3 cap. 63) Is vnà cum Græcis ducibus ad expeditionem Troię profectus eſt. Accidit autem, vt fortè dum omnes rei diuinę auſpicatiſſ. rerum gerendarum initio intenti eſſent Draco quidam ingens prodigiosè apparuiſſet, qui arborem platanum aſcendens, ibíq; nido nouem pullis reperto, omnes ſubitò, denique etiam matrem crudeliter deuorauit. Conſultus igitur Calchas quid hoc ſibi vellet, vaticinatus fuit, Græcos vrbem illam Troianam, per nouem continuos annos obſeſſuros non ſine maximis laboribus, decimo verò anno victores exituros, totámque Troiam incendio penitus deuaſtaturos, (quod & factum fuit) vt habetur apud Homer. Et ejus rei interpretatione ſignificantur, ex difficilibus diuturníſque laboribus tandem maximam laudem, memoriamq; perpetuam proſilire.

Obdurandum aduerſus vrgentia. XXIIII.

Nititur in pondus palma, & conſurgit in arcum,
Quo magis & premitur, hoc mage tollit onus.
Fert & odoratas bellaria dulcia glandes,
Queis menſas inter primus habetur honos.
I puer, & reptans ramis has collige: mentis

Qui

Qui constantis erit, præmia digna feret.



COMMENTARIA.

Palma arbor est frondibus perpetuò virentibus, & inter cæteras constantissima, eo quod contra pondus insurgat, adeò que vt, quanto vehementius prematur, tanto magis sursum sese incuruans onus eleuet. huic præstanti suę virtuti, accedunt fructus quos fert, suauissimi & pretiosi dactyli, qui in deliciis habentur. Plin. lib. 13 cap 4 & libro 16. cap 41. Aul. Gellius lib. 3. cap 6 Dabatur etiam olim palma in præmium victoriæ: ideo fortè, quia proprium eius ligni est vt vrgentibus & deprimētibus resistat (vti magnanimus miles.) hinc palmam ferre pro victoria prouerbialiter dicitur. Erasm. in Chil. Sic etiam hi qui generosi, firmi. infractiq; fuerint, mentis (vt in

 palmis

palmite virtus) digna & emerita fecerant præmia, (vt illa fructus.)

Tumulus meretricis. XXV.



Quis tumulus? cuium? Ephyraeae est Laidos. & non
Erubuit nimium perdere Parca decus?
Nulla fuit tum forma, illam iam carpserat ætas,
Iam speculum Veneri caute dicarat anus.
Quid sculptus sibi vult aries, quem prona leæna
Vnguibus apprensum posteriore tenet?
Non aliter captos quod & ipsa teneret amantes,
Vir gregis ut aries, hac ne tenetur amans.

COMMENTARIA.

Laïs fuit Corinthia meretrix insignis, miræ pulchritudinis ac venustatis, ob id per totam Græciam celebris, quæ neminem admittebat nisi tantum solucret, quantum ipsa peteret.

positu;

postulabat autem ingentem pecuniæ summam: hanc Demosthenes Rhetor clàm adierat, utq; sibi sui copiam faceret rogauerat, illa statim 40. sestertia (quæ summa, ut Budæus computat, mille fere Gallicos coronatos faciet) petiit. Expauit autem Demosthenes: mox terga voluens inquit, Ego pœnitere tanti non emo: ut eleganter Aul. Gel. lib. 1. cap. 8. Ejus sepulcrū hîc expressum, cui insculptus est Aries, (amatorem referens) quem sequens Leæna (meretricem significans) unguibus à tergo comprehendit. Sic etenim meretrices quauis Leæna ferociores, miseros amantes etiam laniando captos tenent. De Laide autem, ejus monumento, & hujuscemodi pictura similimè recenset Leonicus de varia historia lib. 3. cap. 81.

In parasitos. XXVI.

Quos tibi donamus fluuiales accipe cancros,
Munera conueniunt moribus ista tuis.
His oculi vigiles, & forfice plurimus ordo
Chelarum armatus maximusq; aluus adest.
Sic tibi propensus stat pingui abdomine venter,
Pernicesq; pedes spiculaq; apta pedi.
Quum vagus in triuijs, mensæq; sedilibus erras,
Inq; alios mordax scommata salsa iacis.

COMMENTARIA.

Parasitum eleganter describit Lauren. Valla



la libro 4.cap. 51. Huic auctor cancros donat: est namque donum admodum sibi conueniens: Cancer enim animal est aquatile, oculos semper habens apertos, forfices dentatos atque acutos pro armis, ventrem magnũ, & octo pedes, de quo Plinius libro 9. capite 31 Sic etiam parasitus, qui adulando hinc inde victum quæritat, oculos habet admodum vigilantes, ob vẽtris repletionem omnia perlustrã, nec desunt spicula nociua: dum enim cibi gratia huic applaudit, alteri malè dicit, ventri insuper & gulæ totus deditus: vti denique Cancer plures, sic ille per omnia loca celeres pedes habet.

Concordia. XXVII.

In bellum ciuile duces quum Roma pararet,
Viribus & caderet Martia terra suis:

Mos

Mos fuit in partes turmis coeuntibus easdem,
Coniunctas dextras mutua dona dari.
Fœderis hæc species, id habet Concordia signum,
Vt quos iungit amor, iungat & ipsa manus.



COMMENTARIA.

Mos olim erat apud Romanos, præsertim quando bella ciuilia gerebant, vt diuersarum copiarum duces sese simul jungere volentes, priùs inuicem dextram porrigerent in signũ fœderis & integræ fidei seruandæ, vt plures retulere auctores. Dextra fidei testis, inquit Cicero Philip. 2. Quod & hodie Germanis frequenter in vsu est, vt vel se mutuò salutantes, vel certi quidpiam promittentes, vel etiam singularem amorem, aut syaceram fidem demonstrare volentes, dextram porrigant. Hoc erat & priscis, fœderis atq; concor-

diæ indicium, vt qui mutuo sese amore amplectuntur, etiam manibus sic auxilio atque ope conjungantur.

Quæ supra nos nihil ad nos. XXVIII.



Caucasia æternum pendens in rupe Prometheus
Diripitur sacri præpetis ungue iecur.
Et nollet fecisse hominem, figulosque perosus
Accensam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur varijs prudentum pectora curis,
Qui cæli affectant scire deumque vices.

COMMENTARIA.

Prometheus, Iapeti filius, primus fuit qui ex luto simulacra finxit: hinc fabulantur quod in cælum ascendens ignem diuinum furatus sit, quo simulacrum à se factum animauerit: ob hoc Iupiter indignatus alligari illum iussit ad Caucasum mõtem Scythiæ altissimum, asper-

asperum, & inhospitalem. Adhibuitq; sibi Aquilam, quæ perpetuò ejus jecur renascens deuoraret in pœnam temeritatis suæ, vt scribit Plato in lib de natura hominis, & Lucianus in suis Dialogis in dial 1 Sic roduntur miserè & cruciantur variis assiduisq; curis & imaginationibus qui cælestia atque diuina perscrutari conantur.

In amatores meretricum. XXIX.



Villosæ inaunis piscator tegmina capræ,
Addidit vt capiti cornua bina suo,
Fallit amatorem stans summo in littore Sargum,
In laqueos simi quem gregis ardor agit.
Capra refert scortum, similis fit Sargus amanti,
Qui miser obscœno captus amore perit.

COMMENTARIA.

Sargus piscis Capras vehementissimè amat,

quumq; earum proximè litus pascentium vnius aut alterius vmbra in mari apparuerit, protinus gaudio exiliés summo studio adnatat, saltuq; Capras attingere affectat, & gestiens ad eas accedere studet: ob illam denique amoris insaniam (eo quod tantopere desiderat) perditur. Piscator nanque, Caprinam pellem extractam cum cornibus induens, insidias parat, Sole à tergo relicto, atque farinam Caprino iure madefactam in mari dispergit: mox Sargus Capræ odorem percipiens, accedit, pellisq; assimulatæ Capræ conspectu permulcetur & capitur. Hæc omnia Ælianus lib. II. cap. 19 de natur. animalium. Sic amatores (quos Sargus significat) ob furentem & insanam libidinem in meretrices (quas Capra refert) nescati, decepti, ac denique capti, cupiditatis suæ pœnas dant, misereq; pereunt,

Albutij ad D. Alciatum, suadens vt de tumultibus Italicis se subducat, & in Gallia profiteatur. XXX.

Quæ dedit fructus arbor, cælo aduena nostro,
Venit ab Eoo Persidis axe priùs:
Translata facta est melior, quæ noxia quondam
In patria hîc nobis dulcia poma gerit.
Fert folium linguæ, fert poma simillima cordi,
Alciati hinc vitam degere disce tuam.

Tu

Tu procul à patria in pretio es maiore futurus,
Multum corde sapis, nec minus ore vales.



COMMENTARIA.

Persica arbor, originem in Persia regione Asiæ ad Orientem in primis habuit, vnde etiam nomen sortita, vbi fructus noxios valde & venenosos pretulit. Ideoq; Persæ gentes contra Romanos belligerantes, fraudulenter has arbores in variis nostræ Regionis Europæ partibus plantarunt, sperantes ex earum fructibus omnem populum infectum & extinctum iri, vt ex variis auctoribus colligitur ex Galeno, atque etiam Paulo Ægineta lib. I. Sed omnino eos fefellit opinio. Hæc enim arbor, apud nos transplantata, longè melior effecta est. Fructus namque fert pretiosos & suaues: ejus folia simillima sunt linguæ

guæ poma verò cordis formam præ se ferunt. Admonet igitur Alciatum, vt similiter faciat, seq; ex Italicis tumultibus (qui tunc temporis erant) remoueat: futurum fore vt in alienis partibus extra patriam, in majori etiam æstimatione constituatur: siquidem non minus lingua, id est, eloquentia, quàm corde, hoc est, doctrina & prudentia polleat quod denique factum fuit: In Gallia enim Alciatus per aliquot annos non sine magna gloria professus est. Nemo enim propheta in sua patria acceptus est. Attestatur omnium maximus & veracissimus auctor Redemptor noster Lucę cap. 4 & Ioan. eod 4. cap.

Paruam culinam duobus ganeonibus non sufficere. XXXI.



In modicis nihil est quod quis lucretur, & vnum
Arbustum geminos non alit Erithacos.

ALIVD,

In tenui spes nulla lucri est, vtroq; residant.
Arbuste geminæ non bene Ficedulæ.

COMMENTARIA.

In rebus modicis atque exiguis non multum lucri sperandum; neque enim vnus arboris ramus duabus auiculis sufficiens est. sumptum à communi prouerbio, Vnum arbustum haud alit duos Erithacos. Est autem Erithacus auicula parua solitaria, adeóque vt in eadem sylua raro præter vnum inueniatur, de quo apud Erasmum in Chiliadibus. Assimilabitur huic quod vulgò fertur, Vna domus non bene alit duos canes. Et illud Alexandri Magni ad monarchiam aspirantis, qui mundum dixit non capere duos soles.

In Deo lætandum. XXXII.

Aspice vt egregium puerum Iouis alite pictor
Fecerit Iliacum summa per astra vehi.
Quis neget hunc tactum puerili credere amore?
Dic hæc Mæonius finxerit vnde senex.
Consilium, mens atque Dei cui gaudia præstant,
Creditur is summo raptus ad vsque Ioui.

COMMENTARIA.

Ganymedes filius Trois Regis Troiæ puer fuit admirãdæ pulchritudinis, quem Iupiter

aueo



adeò amauit, vt illum rapi & ad cęlum euehi iusserit per aquilam, (est enim illa auis Ioui dicata, eiusq; armiger à poëtis appellata, Higin lib. 2) ibiq; suæ mensæ ministrum & pincernam esse voluit, cujus etiam honores recenset Verg li.1. Æneid. Fabulam verò totam; Homerus in hymno Veneris, Martial. lib.7. Epigram.& Higin in Astrono. Poët. referunt. Hoc autem ideo finxit Mæonius, id est, Homerus, à regione Mæonia in Asia minori, vnde oriundus erat, innuens eum, qui humili spiritu & simplex vti puer, omnibus suis consilijs & cogitationibus in Deo solùm gaudet, dici à Deo raptum per Aquilam, mentem hominis (quæ auis instar sublimia petit) significantem. De eodem disserit etiam Cicero lib 1. Tuscul. quæst.

Inuiol

Inviolabiles telo Cupidinis XXXIII.



Ne dirus te vincat Amor, neu fœmina mentem
Decipiat magicis artibus ulla tuam:
Bacchica avis præsto tibi Motacilla paretur,
Quam quadriradiam circuli in orbe loces:
Ore crucem & cauda, & geminis ut complicet alis,
Tale amuletum carminis omnis erit.
Dicitur hoc Veneris signo Pegasæus Iason
Phasiacis ladi non potuisse dolis.

COMMENTARIA.

Hoc abstrusum remedium, quo violenti amores & magiciæ artes fugari & euitari possint, excerpsit Auctor ex Paulo Geometra Florentino, lib. 2. suæ Geometriæ, cap 10. qui asserit se in quodam Alberti Magni libello, quem de amuleto, hoc est, de omni genere remedij

Medij aduersus cuncta mala medicamenta, & præsertim contra veneficia, quàm doctissimè scripsit, legisse sæpius, Motacillam autem notissimam (cujus duplex genus recenset Ælianus li.15. cap.28 & li.16. cap 13.) Libero patri, id est, Baccho, multis de caussis sacram, vt auctor est Herod. lib 8. cap.36. in hanc figuram crucem efficientem dispositam inter circulos binos æquè sese intersecantes, vt hic videre est, ac humano pectori adhibitam, quàm maximum esse amuletum aduersus philtra ac veneficia omnia, maximè tamen contra illa, quæ homines ad venerem impellunt, contra sæuissimos sæuissimi Cupidinis arcus, qui quidem vt Pelignus vates testatur multis in locis perpaucis parcere didicerunt. Medeam verò nullis carminibus, nullis medicamentis, nullis denique incantationibus aut veneficiis potuisse ad amorem sui Iasonem reducere, ex quo ipsum Corintho, vbi tunc erat, expulit, & Glaucen siue Creusam, Creontis Regis filiam vxorem duxit, vt Theodontius lib. 10. cap 14. refert. Id autem propter amuletum illud quod Iason secum gestabat cujus nomen subticet Theodontius. Pegaseus Iason, id est, Thessalus: nam Peguse vel Pegase Thessaliæ oppidum est. Phasiacis dolis, quod est Colchicis, id est, Medeæ Colchicæ. est enim Phasis fluuius Colchorum. De Iasonis

præterea

præterea in Colchidem pro aureo vellere nauigationem scribunt Valer. Fla. c. in Argonaut. & Apollonius. Sunt autem adeò difficilia & abstrusa vesani amoris atque effrenæ libidinis remedia, vt nisi diuinitus dentur, vix quisquam est qui insidias hujusmodi euadere possit.

Spes proxima. XXXIIII.



[illegible] R [illegible] rapo [illegible],
Et spes venturæ sola salutis adest:
Non secus ac nauis medio circum æquore, venti
Quam rapiunt, salsis iamq; fatiscit aquis.
Quòd si Helenæ adueniant lucentia sydera fratres,
Amissos animos spes bona restituit.

COMMENTARIA.

Respublica nostra Christiana plurimis periculis

d. riculis

riculis atque incommodis perturbata vexatur, atque; vt præter vnicam spem venturæ salutis, & in integrum restitutionis, nihil supersit. Tanquam nauis in alto mari hinc inde à ventis agitata, tempestatibus defatigata, extremam quasi adusque desperationem redacta: subitò verò apparentibus geminis stellis (quas fratres Helenæ, omnium pulcherrimæ, appellant) timor omnis cessat, iterumq; optimam nautæ spem concipiunt. Sunt autem quo sydera Castor & Pollux geminorum signa, de quibus Seneca in Herc. furen. quæ maximè serenitatem & prosperitatem nautis præsagiunt, vt etiam ab eis periclitantibus inuocentur. Plinius libro 2. cap. 37 & Horat. lib. 1. Carmin. Oda 3 & 12. attestantur. Sunt nobis lucida sydera, summus Pontifex cum Imperatore, fratres longè formosissimæ Helenæ, Catholicæ Ecclesiæ, qua nihil speciosius: hi etenim in flagranti turbine Reipub. Christianæ spem nobis addunt non modicam.

Non tibi, sed religioni. XXXV.

Isidis effigiem tardus gestabat asellus,
Pando verenda dorso habens mysteria.
Obuius ergo Deam quisquis reuerenter adorat,
Piásq; genibus concipit flexis preces.
Ast is tantum præstari credit honorem

Sibi



Sibi, & intumescit admodum superbiens,
Donec eum flagris compescens dixit agaso,
Non es Deus tu, aselle, sed Deum vehis.

COMMENTARIA.

Asinus, pigrum & ignauum animal (cujus naturam seu qualitatem hîc describere ridiculum omnino & superfluum esse existimo, quum præter alias nationes præcipue Hispania vndique his scateat) Isidis deæ effigiem dorso suo impositam vehebat, idcirco prætereuntes omnes flexis genibus Deam illam magna deuotione adorabant. Stolidus autem ille Asinus sibi tantum honoris fieri persuadens, arrogãs admodum atque inflatus fuit: quum Agaso hoc aduertẽs multis illum verberibus affligens, dixit, non es Deus tu, aselle, sed Deum portas. Isis autem prius Io dicta,

filia fuit Inachi Regis Argiuorũ, quam Iupiter adamauit, & fortuitu ejus conjuge Iunone preteruenienteₛ vt non cognosceretur mutauit eam in vaccam. Sed Iuno propter suspicionẽ, astutè illam vaccam sibi dari petiit, quam deinde Argo centum oculos habenti dil[illegible] gentissimè custodiendam commisit: tandem ad Nilum peruenıens, implorato Iouis auxilio, pristinæ formæ restituta, & ab Ægyptus Isis dicta, post mortem pro Dea habita fuit, de qua Suidas, Ouid. lib 1. Metamor & plura Plutarchus in Commentariis de Iside. Dea digna quę ab Asino veheretur. In eos quadrat (quorum profectò plurimi sunt) qui alienos honores, ob dignitatem vel Religionem eis exhibitos, stultè sibi tanquam proprios arrogant, vtq; veri Asini inflatos ostentant.

In illaudata laudantes. XXXVI.

Ingentes Gala ũm [illegible]emermi milite turmas
Spem præter trepidus fuderat Antiochus.
Luc[illegible]ium [illegible] ũm [illegible]æua boum vis, dira proboscis,
Tum primum h[illegible]stiles corripuisset equos.
Ergo [illegible]rophæa locans Elephantis imagine, pinxit,
Insuper & so[illegible]ijs, Occideramus ait,
Bellua [illegible]e [illegible] ua[illegible]et ni nos fœdissima barrus:
Vt superasse iuuat, sic superasse pudet.

COMMENTARIA.

Hoc Emblema sumptum est ex historia

que



quæ habetur apud Clearchum Solensem, qui de varia historia non minus eleganter quàm eruditè scripsit, in lib. 12. cap. 29. cujus hæc sunt verba: Antiochus Syriæ Rex quum Galatas expugnare statuisset, copiosum exercitum collegit tam ex militibus quàm Elephātibus, quibus tum temporis periculosis in bellis vtebantur. Galatæ, vbi primùm hostes semiarmatos conspexere, victoriam sperantes non dubitarunt cum Antiocho congredi: inito certamine ferè actum erat de Antiocho, nisi de repente Elephanti, quos secum solitus erat in prælium proferre, hostium Galatarum equos corripuissent, ac in fugam vertissent: quo insperato auxilio Antiochus Galatas profligauit, ac penitus subegit, quare, quum de more trophæum, id est, victoriæ si-

gna locaret, Elephantis pinxit imaginem, Elephantibus potiùs quàm sibi victoriam tribuens: hæc ille. Barrum Nonius Marcellus Elephantem dicit: barrire enim proprium esse elephantorum inquit M. Varro, quamuis Vegetius de re militari dicat barritum etiam esse clamorem Romanorum militum, quum acies vtræque se junxerint. Elephantos autem primùm vidit Italia Pyrrhi Epirotarum Regis bello, in Lucanis. testis est Pomponius Lætus. Sunt autem Lucani populi inter Calabros & Apulos siti, & à Sabinis orti: & propterea Elephantes Boues Lucas appellant, quòd maximam ea tempestate quadrupedem quam haberent, Bouem vocarent, & vti dictum, primùm in Lucania Elephantum vidissent. Galatum, pro Galatarum per syncopen dicit. sunt autem Galatæ populi qui Galatiam habitant, quæ regio minoris Asiæ est. Galli olim ex Europa venientes hanc habitarunt regionem, vnde Gallogræcia dicta est. Auctor est Fenestella. Ad Galatas scripsit diuus Paulus, maxima Ecclesiæ tuba. Antiochus itaque militibus suis de victoria exultantibus: Perieramus, inquit, nisi nos Elephanti belluę fœdissimę seruassent: quantum igitur nos vicisse lætamur, tantum nos ignominiosæ victoriæ pudeat. Proboscis in Elephanto manus dicitur: quòd ea tanquam ma-

nu

nu vtatur. Auctor est Pompeius.

Iusta vindicta. XXXVII.



Dum resideret Cyclops sinuosi in faucibus antri,
Hæc secum teneras concinit inter oues:
Pascite vos herbas, sociis ego pascar Achiuis,
Postremumq́; Vtim viscera nostra ferent.
Audÿt hæc Ithacus, Cyclopaq́; lumine cassum
Reddidit, en pœnas vt suus auctor habet!

COMMENTARIA.

Cyclops, aliàs Polyphemus, gigas fuit maximus monoculus iuxta Ætnam montem, qui nonnullos sociorum Vlyssis captos laniauit miserè ac deuorauit. Vtis verò (id est Vlysses: sibi enim nomen finxit quum Cyclopem deciperet, Οὖτις autem Græcis, nullus vel nemo dicitur) callidus & astutus, optimum sibi

vinum porrexit, quo inebriatus in altissimum incidit somnum. Mox congregatis cum Vlysse sociis, telo ferreo acutissimo oculum illum vnicum ex fronte effodientes obcæcarunt, sicq; vitia fugerunt. Pœnas itaque meritas luit, ob truculentiam in Achiuos (id est Græcos, sic dictos ab Achaia, ampla Græciæ regione) exercitam, minasq́ue temerarias contra Vlyssem prolatas. Sed et hæc latius omnia pulchre narrantur à Virgil. lib. 3 Æneid. hunc etiam Polyphemum Galateam Nympham amantem festiuè describit Ouid. lib. 13. Metam.

Tandem tandem iustitia obtinet. XXXVIII



Æacidæ Hectoreo perfusum sanguine scutum,

Quod

Quod Græcorum Ithaco concio iniqua dedit,
Iustior arripuit Neptunus in æquora iactum
Naufragio, vt dominum posset adire suum:
Littoreo Aiacis tumulo nanq; intulit vnda,
Quæ boat, & tali voce sepulchra ferit:
Vicisti Telamoniade tu dignior armis,
Affectus fas est cedere iustitiæ.

COMMENTARIA.

Æacides, idem est Achilles Æaci nepos, heros Græcorum præstantissimus fuit, qui Hectorem maximum Trojanorum Ducem occidit. Cretensi libro 3. Sed eo quoque Achille interfecto, Ajax, Telamonis filius, post eum fortissimus Græcorum extitit, tum quia multa præclarè gessit, tum etiam quia sibi sanguine junctus & frater patruelis fuit, eleganter Ouid. lib. 13 Metamorph. Idemq; Achillis arma & scutum sibi dari à Græcis petiit. Sed Ithacus (idem Vlysses, sic dictus ab insula Ithaca eius patria) sua astutia & eloquentia iudicibus persuasit vt sibi potius Achillis arma, tanquam magis emerito darentur: quod factum fuit. Ajax autem hoc viso præ iracundia, illatáque injuria sibimet proprio ense mortem intulit, vt suprà etiam Emble. 9. narratum & probatum fuit. Verum vt hic fingit auctor, justior fuit Neptunus (Deus Maris habitus, vt passim apud Poëtas) qui naufragio fortè facto, in mare delapsum scu-

tum arripuit, & vndis ad litus vsque, vbi sepulcrum erat Ajacis, deuolui & peruehi voluit, tali vndarum resonanti voce, Accipe, quoniam vicisti Telamoniade (patronymicum est.) ideóq; dignior his armis, iniquum enim est vt affectus hominum iustitiæ cedant. Euenire autem solet sæpe sæpius vt veritas supprimatur, injustum justo præferatur. Sed Deus æquissimus veracissimúsque sufferre nequit: omnia itaque temporis progressu, vel etiam post mortem vindicat, reintegrat, & restituit.

In fertilitatem sibi ipsi damnosam. XXXIX.



Ludibrium pueris lapides iacientibus, hoc me
In triuio posuit rustica cura nucem.

Quæ

Quæ laceris ramis perstrictóq; ardua libro,
Certatim fundis per latus omne petor.
Quid sterilis possit contingere turpius? cheu
Infelix fructus in mea damna fero.

COMMENTARIA.

Nux arbor, siue iuglans, conqueritur, quòd rusticus illam iuxta viam publicam plantauerit, vt ludibrio esset vel etiam pueris prætereuntibus qui illam lapidibus peterēt, ramos sibi fustibus frangerent, corticem excoriarent, ab omni denique parte crudeliter percuterent: quum talia potiùs fieri deberent arbori sterili & inutili. Se tandem vel ob id saltem miseram exclamat, quòd copiam fructuum in ipsiusmet damnum & detrimentum producat. Hanc elegantem Nucis querelam (vnde etiam hoc Emblema desumptum videtur) legimus apud Ouidium in Elegia de Nuce. Fertur autem proprium esse huius arboris, quò magis & frequentiùs verberibus cædatur, eò plures melioresque fructus procreet. Hinc in Æsopicis fabellis annotantur hi versiculi:

Nux, Asinus, Mulier, simili sunt lege ligati.
Hæc tria nil rectè faciunt, si verbera cessent.

Verissima sunt hæc, præsertim in vltimo.

Fortuna virtutem superans. XL.

Cæsareo postquàm superatus milite vidit

Ciuili vndantem sanguine Pharsaliam:
Iamiam strictum us moribunda in pectora ferrum,
Audaci hos Brutus protulit ore sonos:
Infelix virtus & solis prouida verbis,
Fortunam in rebus cur sequeris dominam?



COMMENTARIA.

M. Brutus contra Cæsarem pugnans, postquam vidit magnam suorum stragem, iam omnino conclamatum, strenuas denique suas virtutes ab aduersa fortuna victas: nō tamen ab inimicis capi nec Cæsari offerri voluit: sed suis illum de fuga adhortantibus, assurgens dixit, fugiendum quidem esse non pedibus sed manibus: mox strictum arripiens ensem huiusmodi extrema verba protulit: O infelix virtus quę non nisi verbis prouida es, quid tandem ab iniqua fortuna dominaris?

Viros

Viros nūc iustos iniqui, optimos pessimi perdunt, præter leges fasq; comminantur. his dictis, viribus proprijs prono pectore cuspidi incubuit, vitámq; finiuit. hæc eleganter Plutarchus in vita M. Bruti, circa finem, & in vita C. Cæsaris etiam in fine, & Anto. Sabell. in 6. Enn. ead. lib. 8 Fortunam denique dominam esse rerum dixerit Cic. lib. 5. Tuscul. quæst. 4 & in oratione pro M. Marcel. o. & de fortuna Plin. eleganter lib. 2 cap. 7 Iambicum Carmen sibi in ānu infelicem Brutum dixisse auctor est Dion, ut refert Alciatus noster lib. 2. parerg. cap. 7 & sic vertit:

Quis non malignas mortis accusat vices
Virtutis claros quæ viros præceps rapit
Viuaciores improbos Coruus sinens?
Frustra putatur esse te virtus Deam
Quæ fortuitis seruiebas casibus.

Ex literarum studijs inmortalitatem acquiri. XLI.

Neptuni tubicem, cuius pars vltima cetum,
Æquoreum facies indicat esse Deum:
Serpentis medio Triton comprenditur orbe,
Qui caudam inserto mordicus ore tenet.
Fama viros animo insignes, præclaraq; gesta
Prosequitur, toto mandat & orbe legi.

COMM-



COMMENTARIA.

Triton, Deus marinus, & Neptuni tubicen fingitur. Virgil. lib. 1. & 5. Æneid. Personat autem (vt ille inquit) & circumtonat æquor tuba sonora, ciens omnes & excitans, vt Claudianus in libro de nup. Honorij & Mar. habet autem parte superiori hominis effigiem, inferiori verò piscis Delphini formam, de quo plura Leonic. de var. histor. lib. 2. cap. 84. Comprehenditur is in medio circulo serpentis. Triton viros præclaros, doctos, canentésque Poëtas denotat. Serpens autem apud antiquos propriam deuorans caudam, depingi solebat, annum significans seu perpetuum tempus, vt apud Ioan. de Sacrobusto, in libello de anni ratione, sic annotatum est,

Serpens annus ego sum, sol sic circinat, in quo

Qui

Qui fluxit pridem status est nunc temporis idem.

O bene etenim æternum circuli figura demonstrat (vt omnes alios omittam) pulchrè Plin. lib. 2 cap. 2 natur. histor. Ostenditur ergo tali pictura, doctissimos literarúmve studiosissimos quoque fama per totum orbem terrarum, nomineq; perpetuo celebres fieri.

Custodiendas virgines. XLII.



Vera hæc effigies innuptæ est Palladis, eius
Hic Draco, qui dominæ constitit ante pedes.
Cur diuæ comes hoc animal? custodia rerum
Huic data, sic lucos sacraq; templa colit.
Innuptas opus est cura asseruare puellas
Peruigili, laqueos vndique tendit amor.

COMMENTARIA

Pallas, aliàs Minerua, filia Iouis sine matre,

ex cerebro nanque eius nata fingitur, Dea sapientiæ & artium, virgo & casta habetur, cuius imagini draco, horribile animal, acutissimi omnium fere animantium visus, ante pedes, tanquam diligens custos, sibi semper adstans pingitur, vt illa securè tam syluas, quàm templa inhabitare, hoc est, & domi & foris tuta esse possit. Sic etiam virgines, innuptæq; puellæ, quinimo & nuptæ strictissimè custodiri debent. Insidiatur enim amor admodum, tanquam canis venaticus, auide inhians feræ, loca perlustrat singula. Parum et fœminam procliuem esse vel sacra pagina docet: In filia inquit, non auertente se firma custodiam, ne inuenta occasione abutatur se. Sicut enim viator sitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, donec deficiat. Ecclesiast. capite 26 rectè insuper admonet quod vulgò dicitur, Mulier pudica ne sola sit vsquam. Neque enim Deæ (si Poëtis creditur) sibi pepercere, nec ipsi Dij tantum prospicere vnquam potuere, quin amoris technis delusi fuerint. Haud igitur frustrà Propertius quæxit:

Dic mihi quis potuit lectum seruare pudicum?
Quæ Dea cum solo vincere sola Deo?

Auxilium nunquam deficiens. XLIII.

Bina pericla vnis effugi sedulus armis,

Quum

Quum premerer'q; solo, quum premerer'q; salo.
ncolumen ex acie clypeus me præstitit, idem
Naufragum oppensus littora adusque tulit.



COMMENTARIA.

Fingit auctor militem quendam vnicis suis armis in diuersis periculis sese egregiè saluasse: quum enim is in terra militaret, scuto seu clypeo suo ab inimicorum ictibus protegendo se defendit: mox quum in mari naufragium passus, super eodem natando ad litus vsque portatus denuò incolumis euasit. Sic viris cordatis & magnanimis, fortuna, etiam in rebus quantumcumque afflictis atque aduersis, facilè modum auxiliúmve ministrat, vt denique vulgò fertur, fortes fortuna adiuuat.

Amor filiorum XLIIII.



Ante diem vernam boreali cana palumbes
Frigore nidificat, præcoqua & oua fouet:
Molliùs & pulli vt iaceant sibi vellicat alas,
Queis nuda hyberno deficit ipsa gelu.
Ecquid Colchi pudet, vel te Progne improba? mortem
Quum volucris propriæ prolis amore subit?

COMMENTARIA.

Magnum & singularem amorem erga prolem ostendunt palumbes, quæ hyemis vehementissimo frigore, brumali solstitio, quod circiter 12. diem Mensis Decembris cõtingit, nidificantes (vt Plin.lib.10 cap.35 attestatur) oua sua magna cura & solicitudine fouent. Vtq; pulli molliùs & calidiùs iaceant, ipsa sibimet plumas euellit, ac nido imponit, nuda


interim

interim quasi moritura & frigora extrema sufferens. Increpat igitur Auctor Colchidis & Prognes contraria & horribilia in liberos facta. Colchis enim, quę Medea dicitur, non solùm vnà cum Iasone aufugiens fratrem paruulum interfecit, & membratim discerpsit, verumetiam à Iasone tandem repudiata, omnes liberos, quos ex eo habuit, in vltionem ipsamet crudelissimè occidit. Quod factum exprobrant Virg. ecl 8. Ouid. de remed. amor. lib 1 & de Tristib. lib. 2. Progne verò vxor Terei Regis Thraciæ fuit quæ quũ ex eo filium nomine Itym peperisset, magno desiderio sororis suæ Philomelæ videndæ affecta erat. Tereum itaque rogauit vt sibi eam ex Athenis adduceret. Ille verò vxori morem gerere volens, Athenas proficiscitur eamq; difficulter à patre extractam, in itinere virginis amore captus violauit: & ne illa cuique perpetratum flagitium reuelare posset, linguam ei abscidit, ac derelictam in secreto loco inclusit, vxori dicens sororem in itinere mortuam fuisse. Philomela autem omnia facti hæc in albo velamine, seu peplo, depinxit, & per ancillulam ad Prognen sororem misit, quæ illico furibunda Bacchanalia finxit, sororem adduxit, & filium suum vnicũ paruulum Itym ad vindictam occidens, Tereo patri suo coctum comedendum dedit. Vnde Tereus comperto fa-

cinore, dum armatus & æstuans ambas insequitur, ipse in vpupam dicitur mutatus, Progne in hirundinem (quæ auis sanguinis maculam in pectore gerit), soror Philomela in lusciniam Itys verò in phasianum, vt prolixè & pulcherrimè describit Ouid. l. 6. Metamor. Crudelitas ingẽs cernitur Regiarum matrum in proprij sanguinis filios, & bruti animalculi notabilis pietas & naturalis amor in pullos.

Ex bello pax. XLV.

En galea intrepidus quam miles gesserat, & quæ
Sæpius hostili sparsa cruore fuit,
Parta pace apibus tenuis concessit in vsum.
Alueoli, atq; fauos, grataq; mella geris.
Arma procul iaceant, fas sit tunc sumere bellum,
Quando aliter pacis non potes arte frui.



COMMENTARIA.

Adſtat galea, quæ olim in libello feroci ſeruiebat militi, atque hoſtili ſæpe ſanguine maculata fuerat: eadẽ nũc pacis tempore, effecta eſt habitaculum ſiue alueolus apum, fauis & melle repleta (vt mihi videtur ex Germania ad Luſitaniã tranſlata: ibi namq; frequentia bella, hîc verò pacifica & tranquilla omnia.) Similiter etiam ex rugienti voraciſſimóque leone, quem poſtquam Samſon diſcerpſerat, ſuauiſſimus mellis cibus exiuit, vnde ipſe cõueniens ænigma propoſuit, De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo, in libro Iudic. ca. 14 Abijcienda igitur, quinimò abominanda, damnifera & crudelia bella, nec niſi tunc demum aſſumenda arma, quando in pace nullo modo viuere conceditur.

Submouendam ignorantiam. XLIV.

Quod monſtrũ? id Sphinx eſt cur candida virginis ora,
Et volucrum pennas, crura leonis habet?
Hanc faciem aſſumpſit rerum ignorantia: tanti
Scilicet eſt triplex cauſa & origo mali.
Sunt quos ingenium leue, ſunt quos blanda voluptas,
Sunt & quos faciunt corda ſuperba rudes.
At quibus eſt notum quid Delphica littera poſſit,
Præcipitis monſtri guttura dira ſecant.
Namq; vir ipſe bipesq;, tripesq; & quadrupes idẽ eſt,
Primaq; prudentis laurea, noſſe virum.



COMMENTARIA.

Depingit Sphingem mõſtrum, faciem virginis, pennas auium, pedes verò leonis habẽs, denotans formam rerum ignorantiæ, ſubiungens hanc triplici etiam cauſa oriri: nõnullos enim ingenij leuitas inſcios efficit, alios blanda voluptas rudes facit, tertios verò nimia arrogantia ignorãtes reddit. Circa hæc plurima dicenda eſſent, quę breuitatis cauſa omittuntur. Fingitur autem Sphinx monſtrũ horrendum, vti jam deſcriptum, qui quondam ad Thebas veniens, hoc ænigma prope viã tranſeuntibus propoſuit. Quale animal eſſet bipes, idemq́; tripes, atque etiam quadrupes: & omnes hoc ænigma diſſoluere vel interpretari neſciẽtes, Sphinx protinus interficiebat, donec Oedipus filius Regis Thebanorum, propoſitũ problema hoc modo ſoluit, dicens, hominem

hominem id animal esse qui in infantia manibus & pedibus quadrupes reperet, mox juuenis erectus bipes incederet verũ in senectute baculo nitens, tripes fieret & ideo Sphinx semet ex monte præcipitauit. Quibus igitur nota est Delphica litera, hoc est, Apollineæ artes, hi, ve è ignorant ę monstrum jugulant. Apollo autem à Delphis oppido, in quo templum & oraculũ toto orbe clariss. & celeberrimum habuit, Delphicus dictus est, hicq; Deus habitus fuit sapientię, vaticinij, carminum, & medecinę, vt plura Macrob. Innuit etiã primũ hoc oportere, idq; sapientiæ principium esse, scire quid sit homo & seipsum cognoscere.

Semper prastò esse infortunia. XLVII.



Ludebant parili tres olim ætate puellæ
Sortibus, ad Stygias quæ prior iret aquas.

Ast cui iactato malè cesserat alea talo,
Ridebat sortis cæca puella suæ:
Quum subitò icta caput labente est mortua tecto,
Soluit & audacis debita fata ioci.
Rebus in aduersis mala sors non fallitur: ast in
Faustis, nec precibus, nec locus est manui.

COMMENTARIA.

Tres olim ejusdem ætatis puellæ, talis, seu sorte ludebant, quænã illarũ prior moreretur: quarũ vna, cui tristis atque iniqua sors ceciderat, ridens hæc, tanquã vana & friuola floccipendebat: subitò verò tegula ex tecto desuper in caput ejus cadens, occidit eam. sic illa temerarij nimis q; audacis joci debita soluit fata: quoniã in rebus aduersis sinistra sors vix vnquam fallitur, in prosperis verò, nec precibus, nec fortitudini locus est. Crabrones igitur non irritandi, & secundum Pythagoricum illud symbolum, Ignem gladio non fodiendũ, hoc est, per se mala non prouocanda, nec tumentem indignationem commouendam: plerumque enim & faciliùs de fumo ad flammas, quàm econtra, deueniri videmus. Exceptum videtur hoc Emblema ex quodã Luciani dialogo, vbi introducitur juuenis, qui cujusdam senis hęreditatem captabat, multa propterea jactabundus temere dilapidans, sperans subitam decrepiti mortem. Accidit autem quòd ipsemet tegula tecti tactus atque interẽptus fuit.

fuit Cui denique apud Charontem multum conquerenti responsum fuit. quare stultus alienę hęreditati insidiatus fuisset, ignorâs fortunæ incertos & ludicros euentus.

Mentem, non formam plus pollere. XLVIII.



Ingressa vulpes in Choragi pergulam,
Fabrè expolitum inuenit humanum caput
Sic eleganter fabricatum, vt spiritus
Solùm deesset, cæteris viuisceret:
Id illa quum sumpsisset in manus, ait:
Hoc quale caput est! sed cerebrum non habet,

COMMENTARIA.

Vulpecula quædam (astutissimum animal) quum fortè intrasset officinā cujusdā sculptoris, reperit ibi humanū caput adeò artificiosè & egregiè fabricatum ac politum, vt omnino viuum sibi videretur, nisi spiritus defuisset.

illud reuoluit dicens ô quàm formosũ caput, sed intellectu caret. Extat fabella Æsopica de vulpe & capite reperto. Significatur solã pulchritudinem corporis & nitorẽ non sufficere, nisi etiam accedant animi bona: perstringit tur sordidum & deformem, sed sapientia præditũ esse quàm elegantissimum & venustissimum, ingenio autem & mente carere.

In facilè à virtute desciscentes. XLIX.



Parua velut limax Remora spreto impete venti,
Remorumq́ ratem sistere sola potest.
Sic quosdam ingenio & virtute ad sydera vectos,
Detinet in medio tramite causa leuis.
Anxia lis veluti est, vel qui meretricius ardor
Egregijs iuuenes seuocat à studijs.

COMMENTARIA.

Remora à remorãdo, aliàs Echeneis dicta, piscis

piscis quidam est paruulus, aspectu niger, longitudine mediocri, qui in mari, etiã contra secundos ventos & remos, solus nauigiũ quodcumq; maximũ adhærendo naualibus tabulamentis retinet, adeoq; constrictum retinet, vt amplius nec currere, nec procedere possit: quæ res vectores angit, & solicitos vehemẽter habet. Plin. l. 9. c. 25. & l. 32. c. 1. Isidor. & Ælian. li. 12. 13. ca. 45 referunt. Sic etiã homines quosdam licet admodum ingeniosos, virtuososq́, retardat & impedit causa aliqua leuissima, vt in medio cursu pergere amplius non possint: veluti in quibusdam est anxia lis, vel amor meretricum & hujusmodi, quæ plerumque juuenes ab egregiis & seriis studiis distrahunt.

Prudentes vino abstinent. L.



Quid me vexatis rami? sum Palladis arbor.
Auferte hinc botros, virgo fugit Bromium.

COMMENTARIA.

Olea seu Oliua arbor frequētissima in Hispania, quę Palladi est sacrata. Plin. lib. 12 ca. 1. ideo quia ipsa oleę inuentrix fuit, teste Ouid. l. 6. Metam. & Plin. li. 16. c. vlt. Pallas autē Dea sapientiæ, virgo casta ac prudentissima est, de qua plura suprà in 42. Embl. Ideoq; arbor vitem, eam circumdantē, increpat, vtq; missam faciat admonet, quādoquidē virgo illa fugiat & abhorreat Bromiū, id est, Bacchū, qui Deus est vini, & pro ipso vino ponitur, de quo Diod. Quòd autē antiquitus Romanis mulieribus, vinū bibere, perinde ac si in adulterio deprehēsę, capitale fuerit, scribit Aul. Gel. l. 10. c. 23.

In auaros. LI.



Septitius populos inter ditissimus omnes,
Arua senex nullus quo magis ampla tenet:
Defraudans geniumq́ suum, mensasq́ paratas,
Nil præter betas duraq́ rapa vorat,
Cui similem dicam hunc, inopem quem copia reddit?
Anne Asino? sic est, instar hic eius habet.
Namq́ asinus dorso pretiosa obsonia gestat,
Seq́ rubo aut dura carice pauper alit.

COMMENTARIA.

Septitius, senex quidam diues & locuples valde, agros plurimos, pecunias multas, & ampla arua possidens, interim tamē adeò parcus, tenax, & auarus, tantūq; thesauris corradendis intentus, vt seipsū macerans & excrucians præter herbulas & durissima rapa nihil comederet: hoc enim plerumq; senibus inest vitij, teste Comico, & Plauto in Aulularia. Cui autē assimilabitur talis, quē vel maximę diuitię egenum reddūt? Asino rectè cōparabitur, qui plurima opipara variaq́; lauta edulia dorso suo imposita gestat, ipse interim duros & asperos carduos pascit. Senū auaritiā carpit Cic. in li. de senect. inquiēs, Auaritia senilis quid velit, nō intelligo, quid enim absurdius esse potest, quā quo minus restat vię, plus viaticiquęrere?

Maturandum. LII.

Maturare iubent properè & cunctarier omnes:
Ne nimium præceps, neu mora longa nimis.

Hoc

Hoc tibi declaret connexum Echeneide telum.
Hæc tarda est, volitant spicula missa manu.



COMMENTARIA.

Trito vulgo Prouerbio dicitur, maturandum quidem esse & accelerandum, paulatim tamen & præmeditatè: vt dicunt, festina lentè, ne nimia festinatio parum considerata & periculosa, néve perlonga tarditas perniciosa sit futura, sed mediocritas & modus in omni re seruetur: quod eleganter hac figura significatur, Echeneis telo connexa. quid enim telo velocius? Echeneis verò pisciculus est supra modum tardus, de quo prolixiùs suprà in 49. Emblemate. Fit igitur ex his medium.

In astrologos. LIII.

Icare, per superos qui raptus & aëra, donec

In mare præcipitem cera liquata daret,
Nunc te cera eadem feruensq; resuscitat ignis,
Exemplo vt doceas dogmata certa tuo.
Astrologus caueat quicquam prædicere, præceps
Nam cadet impostor dum super astra volas.



COMMENTARIA.

Icarus filius fuit Dædali,qui vnà cum patre se volatilem fecit, alis ex cera & pennis compactis : sed quum vltra patris iussa nimium sublime volans,à solis calore cera qua pennæ continebantur, liquefacta, alæ q; fictitiæ ruptæ fuissent,in mare decidit, ibiq; periit : sic ab eo Icarium mare appellatur, vt Ouid.lib. 1.de Tristib.

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus Icarijs nomina fecit aquis.

Ejus itaq; tristis casus,omnibus etiam in po-

ſterum Aſtronomis exemplo eſſe debet, vt à fictitiis atque incertis caueant, ne dum impòſtores futura imprudenter prædicere ac nimiũ alta petere volentes, ſimili modo cadãt. Dædali verò & Icari ex Creta fuga, cauſa, & exitus legitur apud Ouid. lib 2 de arte aman. & lib. 8 Met. Sil. li. 14 & Diod. lib. 5.

A minimis quoque timẽdum. LIIII.



Bella gerit Scarabeus, & hoſtem prouocat vltrò,
Robore & inferior, conſilio ſuperat.
Nam plumis Aquilæ clam ſe neq; cognitus abdit,
Hoſtilem vt nidum ſumma per aſtra petat:
Ouaq; confodiens prohibet ſpem creſcere prolis:
Hocq; modo illatum dedecus vltus abit.

COMMENTARIA.

Scarabeus (inſectorum genus ex equorum putri-

putridis carnibus nasci creditur, de quo Plin. lib.11.cap.28.) inimicus Aquilæ: quapropter eam ad bellum atque certamen prouocare ausus fuit, qui licet robore & viribus longè inferior, consilio tamen & astutia superior est: secrete namque, & Aquila minime sentiente, pennis ejus sese abscondens ad nidum vnà aduectus est: ibi omnia Aquilæ oua perforauit ac fregit, vt nullus inde pullus nasci potuerit. Hoc pacto vltus inimicũ superbum, deridens aufugit, vt etiam pulchre legitur in apologo Æsopico de Scarabeo & Aquila. Docemur autem inimicum, quamtumuis exiguum & pusillum, nos contemnendum: nam, vt dicitur, inest & formicæ sua bilis.

Parem delinquentis & suasoris culpam esse. LV.



Præconem lituo perflantem classica victrix
Captiuum in atro carcere turma tenet.
Quem ille excusat, quòd nec sit strenuus armis,
Ullius aut sæuo læserit ense latus.
Huic illi, Quin ipse magis, timidissime, peccas,
Qui clangore alios æris in arma cies.

COMMENTARIA.

Victores in bello tubicinem aduersæ partis ceperant, quem quum vinctum vti hostem tenerent, & fortè plecterent, ille se excusationibus defendere conabatur, dicens neminem læsisse, nec contra quenquam pugnasse, nec etiam vnquam aliis armis præter solam tubam vsum fuisse. Cui illi vicissim dixerunt, O timide, hoc magis peccasti, cæteros namque milites tubæ sono ad arma incitasti. Pariter apud Æsopum in fabula de Buccinatore ostenditur, Non minus eos, qui ad delicta alios instigant & persuadent, quàm ipsosmet delinquentes, puniendos esse. Hoc ipsum etiam iure cauetur & in l. Si quis seruo. C. de furt.

Firmißima conuelli non posse. LVI.

Oceanus quamuis fluctus populetur et omnes,
Danubiumq; omnem barbare Turca bibas:
Non tamen irrumpes perfracto limite, Cæsar
Dum Carolus populis bellica signa dabit.
Sic sacræ quercus firmis radicibus astant,

Sicca

Sicca licet venti concutiant folia.



COMMENTARIA.

Auctoris exclamatio etiam si Oceanus vastum mare omnes sævos commoueat fluctus, hoc est, licet Mau i, Aphri, seu qualescumque Occidentalis Oceani infidel s & barbaræ gentes, ad Hispaniam præsertim molestandam & inuadendam insurgant, atque etiam crudelissimus Turca ad O ientem totum exhauriat Danubium (fluuius est maximus & celebris Germaniæ, qui etiam Ister dicitur, per Hungariam tandem fluens: quod nobilissimum Regnum ferè totum immanissimus Turca iam nuper deuastauit:) attamen non protinus furioso impetu tan uam perfracta via, pro libitu irrumpet: dum Carolus Cæsar, inuictissimus Imperator, pro

nobis bella geret. Ille namque sese habet instar quercus solidæ arboris, cuius sicca folia, etsi ventis conquassata siue denique ablata fuerint, illa nihilominus radice forti firmaq; persistit.

Cum laruis non luctandum. LVII.



Æacidæ moriens percussu cuspidis Hector,
Qui toties hosteis vicerat en è suos,
Comprimere haud potuit vocem insultantibus illis,
Dum curru & pedibus nectere vincla parant,
Distrahite ut libitum est: sic cassi luce leonis
Conuellunt barbam vel timidi lepores.

COMMENTARIA.

Hector ille, omnium Trojanorum fortissimus, Priami Regis filius, qui postquam plu- ries hostes suos vicerat, solus ille Græcorum copias

copias fugauerat, & patriam seruauerat, tandem ab Æacide, id est, Achille (sic dictus ab auo paterno) Græcorum præstātissimo Duce, ex improuiso lancea transfossus ac semiperemptus ad currum religatus, circum Trojæ mœnia raptatus fuit, vt apud Homer. & Virgil. li. 1. Æneid. jámque morien Græcis exultantibus, illumq; miserè lacerantibus, dixit, Trahite, & cruciate me nunc pro libidine vestra. Sic enim sæpe vel etiam timidi lepores obsæcati & suppressi Leonis barbam euellere ausi sunt. Imò Achillem bigis alligatum Hectorem traxisse non viuum, sed mortuum ejus corpus jam nihil sentiens, eleganter disserit Cic. lib. 1 Tuscul quæst. Ignauum autem & ridiculum est, nihilq; indignius bellicoso atq; ingenuo viro, quā in insectari & pugnare cum eis, qui jam extincti sunt, quos, si viuerent, vix inspicere ausus esset: mortui quippe non mordent.

Aliquid mali propter vicinum malum. LVIII.

Raptabat torrens ollas, quarum vna metallo,
Altera erat figuli terrea facta manu.
Hanc igitur rogat illa, velis sibi proxima ferri,
Iuncta vt præcipites vtraq; sistat aquas.
Cui lutea, Haud nobis tua sunt commercia curæ,
Ne mihi proximitas hæc mala multa ferat.

Nam seu te nobis seu nos tibi conferat unda,
Ipsa ego te fragilis sospite sola terar.



COMMENTARIA.

Fluuius accrescẽs rapiebat duas ollas, quarum vna ænea erat, altera verò lutea: vocabat autem ænea al[t]e[r]am, vt apud se propiùs nataret, quò simul faciliùs aquæ violentiæ resistere possent. Cui terrea respondit. Nolo ego commercium nec vicinitatem tuam, quæ mihi non nisi nociua futura esset & damnosa: si enim fortè vndarum impetus nos collideret, ego misera sola frangerer in frusta, tu verò nihil omnino mali sentires. Et hoc Æsopicum est de duobus Ollis. Prouerbio autem dicitur. Aliquid mali propter vicinum malum, in Chiliad.

In senatum boni principis. LIX.



Effigies manibus truncæ ante altaria diuum
Hîc resident, quarum lumine capta prior.
Signa potestatis summæ sanctiq́ senatus
Thebanis fuerant ista reperta viris.
Cur resident? quia mente graues decet esse quieta
Iuridicos, animo nec variare leui.
Cur sine sunt manibus? capiant ne xenia, nec se
Pollicitis flecti, muneribúue sinant.
Cæcus at est princeps, quòd solis auribus absque
Affectu, constans iussa senatus agit.

COMMENTARIA.

Thebani, viri prudentissimi ex Thebis, ciuitate in Græcia, finxerunt huiusmodi simulacra ante Deorum altaria sedentia, omnia manibus truncatis, præter supremum, manus

quidem habentē,ſed obcæcatum. Exprimere tali figura volentes, ſummæ poteſtatis atque boni Senatus exemplum. Sedent autem vel ideo,quia Iudices graues,quietos,& conſtantes eſſe oportet,nec facilè commoueri vt habetur apud Iurecōſultos in L.obſeruandum. ff. de offic. Præſid. Vel quia ſemper obſeruatum,vt Poteſtas ſeu Iudices pro tribunali ſederent,vt iuribus clarè expreſſum, c.fin. de re iudicia lib.6 L.qui pro tribunali ff. eod.titu. Sic etiam alibi , & in ſacris Bibliis videre eſt, ex verbis Dauidis inquientis:Ex omnibus autem filiis meis elegit Dominus Salomonem, vt ſederet in throno Regni,& c.1. Paralip.28. Carent etiam manibus , ne videlicet Ius dicentes vel Senatores accipiant munera , ſeu donis aut promiſſis corrumpi patiantur:quod & Legibus & pœnis hodie prohibetur , vt in L. plebiſcito. ff de off. Præſid & grauiùs in Auth. ſcriptum eſt exemplar. § quapropter. in fin.Collat.2.Quod autem horum Princeps cæcus ſit, ſignificatur illum auribus tantum abſque omni affectu , ſeu perſonarum reſpectu , conſtanter ac iuſtè Senatus decreta iuſſáque peragere debere. Hoc vt etiam hodie fiat, iureiurando aſtringendos eſſe Iudices omnes minores ſancitum eſt in Authent. iuſiurand. quod præſtatur ab his. § & æquus. Coll. 2. Præter eos, qui ſuperiorem non recognoſcunt.

cognoſcunt. His tamen, ſi ſecus fecerint, terribilius iudicium erit. Deo nanque inſpectore adhibito cauſas proferet derimendas, vt in L. rem non nouam. §. cùm igitur. in fin. C. de Iudic.

In deprehenſum. L X.



Iamdudum quacunq; fugis te perſequor, at nunc
Caſſibus in noſtris deniq; captus ades.
Ampliùs haud poteris vires eludere noſtras,
Ficulno anguillam ſtrinximus in folio.

COMMENTARIA.

Anguilla, piſcis eſt ſic dicta ab Anguis ſimilitudine, quæ adeò læuis & lubrica eſt, vt difficulter manibus teneri poſſit, imò quanto fortiùs premitur, tanto citiùs elabitur, teſte Iſidoro, de qua etiam Plin. li. 9. ca. 51. & cap. 57.

Hanc quidam, vt caperet, diligenter insecutus: quum autem sæpius ex manibus ejus euasisset, eandem deprehensam in folio ficulneo, quod latum & asperum est, inuoluit, ac strinxit dicens, Vix me in posterum deludes, quum te nunc arte & arctè vinctam retineam. Adagio dicitur Folio ficulneo tenes Anguillam, in Chiliad.

In fidem vxoriam. LXI.



Ecce puella viro quæ dextra iungitur, ecce
Vt sedet, vt catulus lusitat ante pedes?
Hæc fidei est species, Veneris quam si educat ardor,
Malorum in læua non malè ramus erit:
Poma etenim Veneris sunt: his Schœneida vicit
Hippomenes, petiit sic Galatea virum.

COM-

COMMENTARIA.

Puella fida & blanda(rara auis)viro propè assidet,eiq; amicabiliter dextra jungitur,ante cujus etiam pedes canicula lusitat. Dextræ autem porrectionem veræ & indissimulatæ fidei speciem esse, suprà Embl. 27. diximus. Canis autem quàm fidelissimum domino suo animal sit inter alios, per plurima exempla recenset Plin lib.8.cap.80 Fœmina autem si fortè lasciuior seu libidine incitata erit, rectè conueniet, sinistra quem gerit manu, pomorum ramus. Poma etenim Veneris sunt (quæ amorum procuratrix est.) Ideoq; pomis persæpe amantes vti solent,vt Galatea apud Virgilium Ecloga 3.Malo me Galatea petit lasciua puella: Et fugit ad salices,& se cupit antè videri. Ipsa namque Venus pomum aureum in certamine,Paride judicante, obtinuit. Sic etiam Hippomenes,malis vicit Scheneidam, quæ Atalanta vocabatur,Schenei Regis filia, pulcherrima puella, cui Deorum responsum datũ fuit,vt nullo viro nuberet:ideoq; procis eam ambientibus,hujusmodi legē proposuit, vt secum cursu pedum certarent, & qui eam currendo superasset, ejus se conjugem futuram, victi verò morte plecterentur. Quúmque multos superasset,& nece affecisset,tandem Hippomenes,adolescens nobilis ex Neptuni progenie, quum eam impenso amore

diligeret, nec mortem certaminis periculo abhorreret, Venerem implorauit vt sibi auxilio esset, quæ statim ei tria aurea poma donauit: ea inter currendum ante virginem per vices projecit. Illa verò, auri cupiditate allecta, dum ea colligeret, retardata, & sic arte victa fuit, vt lepidissimè Ouid. libr. 10. Metamorph.

Quod non capit Christus, rapit fiscus. LXII.



Exprimit humentes quas iam madefecerat antè
Spongiolas cupidi Principis arcta manus.
Prouehit ad summum fures, quos deinde coercet,
Vertat ut in fiscum quæ malè parta suum.

COMMENTARIA.

Princeps auarus, quemadmodum iam nunc made-

mandefactam atque inflatam spongiam iterum premendo exsiccat, sic etiam postquam fures illos, aulicos præsertim, ad amplas diuitias peruexit, iterum denique eos coërcet ac punit, vt eorũ malè parta in fiscum suum conuertantur. Nunc mirum si (vt iureconsulti dicunt) fiscus semper diues præsumatur.

Nec quæstioni quidem cedendum. LXIII.



Cecropia effictam quam cernis in arce Leænam,
Harmodij, an nescis hospes? amica fuit.
Sic animum placuit monstrare viraginis acrem
More feræ, nomen vel quia tale tulit.
Quòd fidibus contorta suo non prodidit vllum
Iudicio, elinguem reddidit Iphicrates.

COM-

Harmodius & Aristogiton, juuenes fortissimi, ciues Athenienses, de Republica optimè meriti: nam libertatis recuperandæ ac Reipubl. conseruandæ gratia de Tyranno interficiendo conjurare, atque id aggredi ausi fuere: ideoq; in eorum honorem à ciuibus publico decreto sancitum fuit, vt nemo vnquam ipsorum nomine vocaretur, refert Gell. lib. 9. cap. 2. Hi scortum ejus lyræ cantu & beneuolentiæ officio maximè conjunctum & familiare habebant, nomine Leæna, quæ à Tyranno capta, torta, & ad mortem vsque excruciata, eorum tamen de Tyrannicidio consilia & conspirationem prodere nec reuelare voluit, quin potiùs (vt acris animi) præscissam dentibus linguam in Hippiæ Tyranni faciem expuit. Idcirco Athenienses ei quoque quid honoris tribuere volentes, nec tamen vt scortum celebrare, sed animal ejus nominis in arce Cecropia (arx Athenis à Cecrope Rege conditore appellata, vt Plin. lib. 7. cap. 56) per Iphicratem eximium sculptorē effecere: vtq; clariùs honoris causa intelligeretur, in opere Leææ linguam non addidere. Meminere Plinius libro 7. cap. 23 idemq; prolixiùs libro 34. capite 8. & eleganter Crinit. lib. 9. cap. 8. de honesta disciplina.

In

In temerarios. LXIIII.



Aſpice aurigam currus Phaëthonta paterni
Igniuomos auſum flectere Solis equos:
Maxima qui poſtquàm terris incendia ſparſit,
Eſt temere inſeſſo lapſus ab axe miſer.
Sic pleriq; rotis Fortunæ ad ſydera Reges
Euecti, ambitio quos iuuenilis agit,
Poſt magnam humani generis cladémq; ſuamq;,
Cunctorum pœnas deniq; dant ſcelerum.

COMMENTARIA.

Phaëthon, filius Solis & Clymenes Nymphæ maximè temerarius, qui inſtanter ac importunè à patre efflagitans vt currum & equos, quibus Sol vehitur, vno die gubernare permitteretur, impetrauit, ſed difficillimo oneri impar. Equi etenim, ignoto rectore perterriti, in contrariam partem inclinaue-

runt,

runt: quos ipſe extra viam currentes retinere amplius non potuit, inde magnum in terris incendium exortum, adeoq; vt Iupiter etiam Cælo timens illum fulminis ictu de curru præcipitauerit. hinc Ouid. lib. 1 de Triſtib.

Vitaret cælum Phaëthon ſi viueret, & quos
Optauit ſtultè tangere nollet equos.

Totam autem Phaëthontis fabulam & præcipitem casum deſcribit pulchrè Ouid. lib. 2. Metamorph. Similiter Reges quamplurimi, ob dexteram fortunam ad ſydera vſque euecti, ſed ambitione nimia atque audacia iuuenili, imò dominandi libidine agitati, poſt magnam denique iacturam, totius etiam Reip. detrimento ipſi quoque ſcelerum ſuorum omnium pœnas luunt.

De Morte & Amore. XLV.



Errabat

Errabat socio Mors iuncta Cupide, secum
Mors pharetras, paruus tela gerebat Amor.
Diuertêre simul, simul vna & nocte cubarunt,
Cæcus Amor, Mors hoc tempore cæca fuit.
Alter enim alterius malè prouida spicula sumpsit,
Mors aurata, tenet ossea tela puer.
Debuit inde senex qui nunc Acheronticus esse.
Ecce amat, & capiti florea serta parat.
Ast ego mutato quia Amor me perculit arcu,
Deficio, iniiciunt & mihi fata manum.
Parce puer, Mors signa tenens victricia parce,
Fac ego amem, subeat fac Acheronta senex.

COMMENTARIA.

Mors pallida inciderat fortuitu in Cupidinem Deum Amoris, simulq; vnius diei iter fecere, vterque arcus telaq; terens: appropinquante verò nocte, diuertêre ac dormiuere vnà. Cæcos autem tunc tam Mortem, quàm Amorem fuisse apparet: permutatis enim armis alter alterius spicula sumpsit. Mors aurata, puer verò ossea portabat: vulnerauerat autem Mors senem quendam decrepitum, alterum iam pedem in tumulo habentem, ecce amare incipit, mox serta ex floribus compacta capiti imponit, libidinisque ardore vritur. Amor vero puerulum sauciauerat, qui exclamando se statim moriturum miserè conqueritur, Parce, inquit ô Cupido, mihi iuueni: Mors nanque tuis vtitur aureis telis

quin potiùs facito vt ego amen, senex autem ille moriatur. Et hoc haud rarò contingit, vt aliorum errores aliis sint nociui.

In formosam fato peremptam. LXVI.



Cur puerum Mors ausa dolis es carpere Amorem,
Tela tua vt iaceret, dum propria esse putas?

COMMENTARIA.

Mors inuida blandum deceperat Cupidinem: sibi enim dormienti aurea tela abstulerat, & mortifera eius pharetris imposuerat: quibus nescius Cupido formosam percusserat puellam, quæ protinus ob iniuriam sibi illatam contra Mortis technas exclamat, O iniqua Mors, quare Amorem puerum fefellisti, qui tuis sagittis truculenter me miseram

ram transfixit, suas amabiles esse credens? Sic plerumque mala fortuna, prosperam illam fallit, & superat.

In statuam Bacchi. LXVII.



Bacche pater quis te mortali lumine vidit,
Et docta effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles qui me rapientem Gnosida vidit,
Atq; illo pinxit tempore qualis eram.
Cur iuvenis, teneraq; etiam lanugine vernas:
Barba, quatas Pylium quum superare senem?
Muneribus quandoq; meis si parcere disces,
Iunior, & forti pectore semper eris.
Tympana non manibus, capiti non cornua desunt:
Quos nisi dementes talia signa decent?
Hoc doceo, nostro quòd abusus munere sumit
Cornua, & insanus mollia sistra quatit.

Quid vult ille color membris penè igneus? omen
Absit, en humanis vreris ipse focis?
Quum Semeles de ventre parens me fulmine traxit
Igniuomo, infectum puluere mersit aquis.
Hinc sapit hic, liquidis qui nos bene diluit vndis:
Qui non, ardenti torret ab igne iecur.
Sed nunc me doceas quî vis misceriet? & qua
Te sanus sutum prendere lege queat?
Quadrantem addat aquæ, calicem sumpsisse falerni
Qui cupit, hoc sumi pocula more iuuat.
Stes intra hemiras: nam qui procedere tendit
Vltra, alacer, sed mox ebrius, inde furit.
Res dura hæc nimiùm, sunt pendula guttura, dulce
Tu fluis: heu facilè commoda nulla cadunt.

COMMENTARIA.

Quidam, quum Bacchum Deum viui putatum egregiè fabricatum videret, eius mirabilem formam contemplans, eum tandem sic alloquitur: Dic pater Bacche. quis hominum vnquam te vidit, & taliter effinxit? Cui Bacchus respondit, Praxiteles (statuarius nobilis, præsertim marmoris felicissimus sculptor, qui etiam Bacchum formauit æneum, de quo Plin. lib. 34. cap. 8.) me ad vnguem talem expressit, qualem me vidit quum raperem Gnosida (id est, Ariadnen, filiam Minois Regis Cretæ ex Gnoso vrbe, quæ Theseum iuuenem, quum Minotauro deuorandus obiiceretur,

cæretur, adiuuit, & seruauit, quam ille in patriam reuertês secum abduxit: sed in itinere, in insula Chio dereliquit, & perjurus deseruit. Deinde Bacchus eius misertus, eam in vxorem sibi rapuit, &, ob amoris memoriam, coronam à capite ejus sumptam inter sydera collauit, vt canit Ouid. lib. 8. Metam.) quomodo juuenis videris, quasi nunc primùm barba succrescere incipiat, quum tamen ætate superare possis etiam senem illum Pylium, (id est Nestorem, sic dictum ab vrbe Pylo, in qua regnabat. Vixit autem tres hominum ætates, vt inquit Hom. Odyss. 3. inde prouerbium, Nestorea senecta, in Chliad.) Hoc significo, te quoque juniorem, validioremq; futurum, si parcè interdum meis muneribus vtaris. Sed quid manibus tympanum, atque etiam caput cornutum habes, quum hęc non nisi fatuis & insanis conueniant? His tibi monstro eos, qui vino, nostro dono, abutuntur, mox inebriatos ferociores fieri, & cornua assumere, denique libidinose, tanquam mente captos, tympanis ludere (sunt autem tympana luxuriæ instrumenta, teste Iustino lib. 30.) Quid sibi vult inflammatus ille, ac penè igneus totius corporis color? ánne flammis humanis vreris? Quum pater me igneo fulmine ex ventre matris extraxisset, mox corpus meum puluere infectum aquis im-

merſit. Fabula ſic narratur, Iupiter captus amore Semeles filiæ Regis Thebarum, eam impręgnauit: quare Iuno irata, vt eam de medio tolleret, aſſumpſit formam vetulæ, eius nutricis, eamq; accedens perſuaſit, vt experiretur, an Iupiter verè & ex animo illam amaret, hoc modo, ab eo aliquid magni peteret, nempe velit talis & tantus ſecum concumbere, qualis & quantus cum Iunone coniuge ſua conſueuiſſet. Semele igitur experiri volens (vt ſunt mulieres illius rei, præſertim nouæ, cupidiſſimæ) illud ſummopere petiit. Iupiter autem Semele iurauerat, ſe quicquid ab eo peteret daturum, ideoq;, vt iuſiurandum ſeruaret, illam fulmine flagranti occidit adhuc prægnantem: infantulum autem, nondum maturum partui, ex ventre eius ſumens femori ſuo impoſuit, ac tam diu fouit donec menſes maternos compleret, qui puer Bacchus dictus fuit, primus inuentor vini (pulchrè Ouid. lib. 3. Metamor.) Idcirco ſapienter agit is, qui noſtra munera rectè aqua diluit: ſecus enim iecur in corpore combuſtum ſentiet. Sed inſtruas me nunc quo pacto aquis rectè ne bibenti noceas temperari poſſis? Qui me vt poſſim aſſumere cupit infundat vini poculo quartam aquæ partem, ſic nanque tutus erit: nec bibendo vltra heminam procedat, (eſt autem hemina menſuræ

furæ genus dimidium sextarij continens, ferè quod Lusitanis quartiglu dicitur) nam qui huiusmodi mensuram excedere volet, hilaris quidem erit, sed mox ebrius, ratione denique priuatus ac furens. Verùm vltima hæc lex nimis dura videtur: sunt enim guttura pendula, & tu dulce Bibis. Heu quàm difficilè quæq; commoda eueniunt!

In momentaneam felicitatem. LXVIII.



Aëriam propter creuisse Cucurbita Pinum
Dicitur, & grandi luxuriasse coma.
Quum ramos complexa, ipsumq; egressa cacumen,
Se præstare ā ijs credidit arboribus,
Cui Pinus, Nimiùm breuis est hæc gloria: nam te
Protinus adueniet quæ malè perdat hyems.

Cucurbita natura sublimitatis auida hyemem odit maximè, de qua Plin. li. 19. c. 5. Nascebatur prope pinum arborem altissimam, latis abundans foliis quumq; ramos pini amplexa esset, ac tandem summitatem arboris excreuisset, superbire cœpit, omnium q; arborum se præstantiorem & excellentiorem gloriabatur. cui pinus respondit: Nimis ô bone, breuis est hæc tua gloria: citò enim aduenieus hyems radicitus te extinguet. Hic Apologus desumptus est ex Crinito l b. 2. cap 14. de honesta disciplina, fabulis etiam Æsopi insertus Non superbiendũ ob prosperæ fortunæ, quæ inconstans est, subitum euentum.

Pietas filiorum in parentes. LXIX.



Per medios hostes patriæ quum ferret ab igne

Æneas

Æneas humeris dulce parentis onus,
Parcite dicebat, vobis sene adorea rapto
Nulla erit, erepto sed patre summa mihi.

COMMENTARIA.

Æneas, nobilissimus Trojanorum princeps, qui quum Græci Trojam regiam vrbem cepissent, euerterent, totamq; igne cremarent, ex tantis opibus, adeoq; optima præda selegit ille Anchisen tantùm, patrem suum jam senio cōfectum, quem per medios hostes super humeros gerens, ex flammis, telisq; erepturus, inquit, Parcite, ô Græci nulla enim vobis erit adorea (id est, bellica gloria) si decrepitū senem interfeceritis, mihi verò maxima si parentem saluauero. Auctores sunt hujus rei Virgil lib.2. Æneid & Ouid.l.b 13. Metam.

Alius peccat, alius plectitur. LXX.



Arripit vt lapidem catulus, morsuq; fatigat,
Nec percusori mutua damna facit:
Sic pleriq; sinunt veros elabier hostes:
Et quos nulla grauat noxia, dente petunt.

COMMENTARIA.

Quemadmodum canis lapidem, cum quo tactus est, insequitur, cumq; mordet, hominem verò, qui lapide eum percusserat, illæsum dimittit: Sic etiam plurimi veros hostes inultos abire sinunt, & potiùs pro iis, quæ peccauit alius, alius dat pœnas. Vnde adagium natum: Canis sæuiens in lapidem, in Chiliad. Scripsit autem hoc idem Plato (vt refert Aristotel. in Rhet.) in eos, qui mortuos allatrarent.

In studiosum captum amore. LXXI



Immersus studijs, dicundo & iure peritus,

Et

Et maximus libellio,
Heliodoram amat, quantum nec Thracius vnquam
Princeps sororis pellicem.
Pallada cur alio superasti iudice Cypri?
Num sat sub Ida est vincere.

COMMENTARIA.

Studiosus quidam perdoctus, peritus, ac literis totus deditus, derelicta Pallade quę artium & sapientiæ Dea est) deperit Heliodorã formosissimam puellam, vehementiùs, longeq; ardentiùs, quàm olim Iupiter Semelem. Alloquitur itaq; Venerem, quare denuò Pallada vicerit, annon sufficiat semel Paride sub judice vicisse, vel vt Venus respondeat, non sat esse semel vicisse, &c. Thracius autẽ princeps, Iupiter dicitur: quia regnauit, & natus fuit in insula Creta, quæ in Thracia est, vt Cic. lib. 3. de natura Deor. Iuno verò, vt perhibent, soror & vxor Iouis est. Pellex Semele est, quam Iupiter ardentissimè amauit, & ex ea Bacchum sustulit vt diximus suprà Embl. 67. Cypris Venus dicitur, ei namque Cyprus insula consecrata est. Horat. lib. 1. Ode 3. Sic plurimos Veneris libidines à syncero Palladis amore sapientiæ studio auocant, atque impediunt.

Ἀντέρως, *Amor virtutis alium Cupidinem superans.* LXXII.



Aligerum aligeroq; inimicum pinxit Amori,
Arcu arcum, atque ignes igne domans Nemesis:
Vt quæ alijs fecit patiatur: at hic puer olim
Intrepidus gestans tela, miser lacrymat:
Ter spuit, inq; sinus imos (res mira) crematur
Igne ignis, furias odit Amoris Amor.

COMMENTARIA.

Duo finguntur Cupidines, honestus scilicet & turpis, quorum prior ex Venere & Ioue, alter verò ex Erebo & Nocte nati dicuntur, vt collegit Perottus ex Cicerone, de natura Deorum. Inde Nemesis Dea, vltrix malefactorum atque de felicitate superbientium, de qua suprà Embl. 13. pinxit amorem virtutis, etiam aligerum, inimicum alterius deprauati Cupidinis similiter alati, paribus armis, arcu & igne, iniquum illum vincens,

vt

vt qui olim audax & temerarius tela gerebat, nunc alligatus miser plorat, eiusque facies conspuitur, nimirum vt ipsemet ea patiatur, quæ olim aliis facere consueuerat: sic denique (res admirabilis) ignis igne crematur, & amor insanias odit amoris. Virtus enim vitiis inimica semper & contraria, eisque tandem præeminet. vt elegantissimè Crin. lib. I. poëmatum, in epigrammate exhortationis ad virtutem.

Vis amoris. LXXIII.



Aligerum fulmen fregit Deus aliger, igne
Dum demonstrat vti est fortior ignis Amor.

COMMENTARIA.

Cupido Deus alatus fregit ac dissipauit volans fulmen, demonstrans amoris ignem

quouis alio igne longè superiorem esse, secundum illud Virgilianum. Omnia vincit amor quod & Propert.lib.2.sentit, inquiens:

Errat, qui finem væsani quærit amoris.
Verus amor nullum nouit habere modum.

Iusta vltio. LXXIIII.



Raptabat volucres captum pede coruus in auras
Scorpien, audaci præmia parta gulæ.
Ast ille infuso sensim per membra veneno,
Raptorem in stygias compulit vltor aquas.
O risu res digna! aliis qui fata parabat,
Ipse perit, proprijs succubuitq́; dolis.

COMMENTARIA.

Coruus, auis vorax & furax, cadaueribus atque rapinis intentus. Quum autem aduncis suis pedibus in prædam auidæ gulæ rapuisset

puiſſet ſcorpionem veneneſiſſimum animal, de quo Iſidorus qui caudæ ſuæ ictu paulatim venenum infundens eius membris vlciſcitur, raptoremq́; inflatum interimit. Res ridicula, vt qui aliorum inſidiabatur vitę ipſe propriis dolis periit. Similis extat Apologus apud Æſopum de Coruo & Serpente:hinc etiam adagia ſumpta, Coruus ſerpentem, & Coruus ſcorpium,vt in Chiliad.

In eum,qui truculentia ſuorum perierit. LXXV.



Delphinem inuitum me in littora compulit æſtus,
Exemplum infido quanta pericla mari.
Nam ſi nec proprijs Neptunus parcit alumnis,
Quis tutos homines nauibus eſſe putet?

COMMENTARIA.

Delphinus (piscis maris omnium velocissimus: de quo multa Pl n.l b 9 cap.8)in magna maris tempestate inuitus in siccum littus proiectus fuit. Exemplo esse potest perfidiæ & iniquitatis crudelissimi maris. Si enim Neptunus, qui Deus maris creditur, propriis suis alumnis in aquis natis atque nutritis non parcit, quis homines, eorúmve naues in mari tutos esse credet? Ideoq; etiam Proper. lib.1. exclamat:

Ah pereat quicunque rateis & vela parauit,
Primus & inuito gurgite fecit iter.

Mare infinitis ærumnis & calamitatibus abundare, sentit Plautus in Asinaria, & Terentius in Andria. Nescis, inquit, quid mali præterieris, qui nunquàm es ingressus mare.

Potentia amoris. LXXVI.

Nudus Amor viden' vt ridet, placidumq; tuetur?
Nec faculas, nec quæ cornua flectat habet.
Altera sed manuum flores gerit, altera piscem,
Scilicet vt terræ iura det, atque mari.

COMMENTARIA.

Amor Cupido puerulus, nudus adstat, subridens, perquam amabili & blando vultu, nec ignem secum habet, nec tela, nec arcum, sed altera



altera manu flores gerit, altera verò piscem ostendit, significans potentiam suam, tam in mari, quàm in terra validam: flores namque terræ, pisces autem maris sunt, vt omnes Poëtæ pleni. Egregiè autem post sexcentos poëtas, de potestate amoris canit etiam Crinitus libro primo poëmatum.

Quà dij vocant, eundum. LXXVII.

In triuio mons est lapidum, supereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus,
Mercurij est igitur tumulus, suspende viator
Serta Deo, rectum qui tibi monstrat iter.
Omnes in triuio sumus, atque hoc tramite vitæ
Fallimur, ostendat ni Deus ipse viam.



COMMENTARIA.

Triuium eſt locus, vbi tres pluréſve viæ diuiduntur, ancipitem, dubiumq; reddentes ignarum itineris, de quo multa apud Strab. lib. 5. in quo fingitur mons ex lapidibus extructus, vnde media Dei effigies apparet. Eſt igitur tumulus ſeu ſepulchrum Mercurij interpretis & nuntij Deorum, vt plura Cic. in lib. de Nat. deor qui rectam hæſitanti viatori viam monſtrat: quapropter ei ſerta, id eſt, coronæ ex floribus, in honorem ſuſpendendæ ſunt. Hæ enim olim non niſi Dijs dabantur, Plin. lib. 16. cap. 4. & hoc antiquitus moris fuiſſe paſſim auctores prodidere, de quibus etiam Plin. lib. 6. & Gel. li. 5. cap. 6. Nos autem omnes in triuio ſumus, fallimurq; fallimur in ambigua & tranſuerſa noſtræ vitæ via, niſi

Deus

Deus ipse nobis rectum ostendat iter: quod vt faciat enixè rogandus, omniq; reuerentiæ conatu venerandus est.

In simulachrum Spei. LXXVIII.



Quæ dea tam læto suspectans sydera vultu?
Cuius penniculis reddita imago fuit?
Elpidij fecere manus, ego nominor illa,
Quæ miseris promptam Spes bona præstat opem.
Cur viridis tibi palla? quòd omnia me duce vernent.
Quid manibus mortis tela refracta geris?
Quòd viuos sperare decet, præcido sepultis.
Cur in dolioli tegmine pigra sedes?
Sola domi mansi, volitantibus vndiq; Noxis,
Ascræi vt docuit musa veranda senis.
Quæ tibi adest volucris? Cornix fidissimus oscen,
Est, bene quum nequeat dicere, dicit, erit.

Qui comites? bonus Euentus præcepsq; Cupido.
Qui præeunt, vigilum somnia vana vocant.
Quæ tibi iuncta adstat? sceleris Rhamnusia vindex,
Scilicet vt speres nil nisi quod liceat.

COMMENTARIA.

Quidam Spei simulacrum intuens & admirans, denique sic percontatur, Quænam Hæc Dea est adeò hilari vultu sursum in cælum aspiciens? Vel, quis hoc modo imaginem effinxit? Cui illa respondet, Me ita formauit Elpidius (est autem nomen fictum, & ad rem præsentem accommodatum: nam ἐλπὶς Grecè spes dicitur, hinc ἐλπίδιος pictor Spei) & vocor spes illa bona, quæ sola miseris adest, eosq; semper consolatur. Quare viridi veste induta? Quia sub me omnia viridia & florida permanent. Quid autem perfracta mortis arma manibus tenes? Ideo quia mortuis nihil mecum rei est, sed viuos tantùm sperare decet Dic quare pigra super fundum dolij seu vasis sedes? quoniam sola ego domi mansi, quum cæteræ Noxæ omnes per mundum volitabant, vt pulchrè Hesiodus Poëta canit, Ascræus dictus ab Ascræa patria sua. (Noxæ Deæ finguntur, quæ hominibus mala inferunt, eorúmque mentes perturbant, vt idem Poëta. Sic autem Ouid. lib. 1. de Ponto,

Spes,

Spes Dea quum fugerent sceleratas numina terras,
In Dijs inuisa sola remansit homo.)

Quæ est illa auis tibi adstans? Cornix est, auis fida, quæ certam spem ostendit: quum enim non bene possit dicere, est prædicit, erit: canit namque subinde cras, cras Oscen autem auis est, quæ voce augurium præsagit: omnes namque aues, ore, cantuq; auspicium facientes, priscis Oscines vocatæ fuere, prodit Crinit. lib. 21. cap. vltimo. de honesta discip lina, vt apud Horat lib. 3 Oda 27. Oscinem coruum prece suscitabo solis ab ortu. Sed qui tui sunt comites? me præcedunt bonus Euentus, & præceps Cupido, vocantes inania vigilantium somnia. Illa verò, quæ retro propè adstat, Rhamnusia Dea est, quæ hominum scelera, præcipuè insolentiam & arrogantiam, vindicat, significans nihil sperandum, præterquàm quod licitum sit.

Illicitum non sperandum. LXXIX.

Spes simul, & Nemesis, nostris altaribus adsunt:
Scilicet vt spe es non nisi quod liceat.

COMMENTARIA.

Stant simul in altaribus binæ Deæ, Spes scilicet, & Nemesis, ideo quòd hæc vltrix est, præsertim illorum, qui propter felicitatem superbiunt, & spes immoderata non



solùm verет, sed etiam puniat. Admonens vt nihil speres, nisi quod licitum & honestum sit. De Nemesi verò Rhamnusia cognominata à pago Rhamno, in quo celebratissimum olim templum habuit, déque ejus origine, simulacro, ac denique contumeliosorum, & elatæ mentis hominum persecutione, & punitione, scribit Leonic de varia historia lib. 2. cap. 28 & Erasmus in prouerbio, Rhamnusia Nemesis.

Pax. LXXX.

Turrigeris humeris, dentis quoq; barrus eburni,
Qui superare ferox Martia bella solet,
Supposuit nunc colla iugo, stimulisq; subactus,
Cæsareos currus ad pia templa vehit.
Vel fera cognoscit concordes vndiq; gentes,
Proiectisq; armis munia pacis obit.

COM-



COMMENTARIA.

Elephantus, qui ob nimiam suam dorsi & dentium fortitudinem, aliàs turres gestare, atque etiam crudelia bella superare consueuit, vt refert T. Liuius lib. 7. Decad. 4. nunc se prorsus humilians, iugo subiectissimum se patitur, & currus Cæsareos triumphales ad Templa sacra trahit: quia fortè animal ipsum, concordiam & pacem inter omnes esse gentes cognoscit, ideóque reiectis, & aspernatis armis bellicis, obsequiosè pacis munus obit. Demonstratur, pacem etiam fero isti nos ad pias actiones, & diuinum cultum, atque etiam mansuetudinem, incitare, quæ omnia bellicis tumultibus non solùm negliguntur & impediuntur, verùm & omnino contraria & crudelissima quæque exercentur. Ele-

phantorum antiquitus in bellis vſus, omiſſis aliis auctoribus habetur apud Plin.lib.6 cap. 9.& lib.8. cap 6.

Ἀντέρως, id eſt, amor Virtutis. LXXXI.



Dic vbi ſunt incurui arcus? vbi tela Cupido?
Mollia queis iuuenum figere corda ſoles?
Fax vbi triſtis? vbi pennæ? tres vnde corollas
Fert manus? vnde aliam tempora cincta gerunt?
Haud mihi vulgari eſt hoſpes cũ Cypride quicquam.
Vlla voluptatis nos neq; forma tulit.
Sed puris hominum ſuccendo mentibus ignes
Diſciplinæ animos aſtraq́; ad alta traho,
Quatuor ecq; ipſa texo virtute corollas,
Quarum quæ Sophiæ eſt, tempora prima tegit.

COM-


COMMENTARIA.

Alloquitur Cupidinem, interrogando quare præter morem solitum hic videatur, vbi reliquerit arcum & tela sua, quibus mollia juuenum corda transfigit: vbi ignis ille vehemens, quo eorum animos accendit: vbi alæ celeres, quibus inconstans omnia loca penetrat: quid imò sibi velint tres illæ coronæ in brachio, atque etiam quarta capiti suo imposita? Respondit Amor se non esse Cupidinem illum venereum & voluptarium, quin potiùs alterum amorem honestum, alij libidinoso prorsus inimicum: sed inflammare se puras hominum mentes igne disciplinarum & virtutum, illorumq; ingenia ad sydera vsque perpetuo nomine euehere: hoc ipsum significare corónas illas contextas, quarum ea, quæ capiti injecta est designare sapientiam (Philosophiá autem comparatur) quæ primò amplectenda, cui reliquæ tres adhærent, & subsequuntur, vt puta Fortitudo, Temperantia, & Iustitia: de quibus eleganter Seneca in lib. de quatuor virtutibus cardinalibus, & Macrob. in libro de somnio Scipionis, refert Plotini Philosophi elegantem harum virtutum distributionem.

Signa fortium. LXXXII.

Quæ te causa mouet vo.u.is Saturnia, magni

Vt tumulo insideas ardua Aristomenis?
Hoc moneo, quantum inter aues ego robore præsto,
Tantum semideos inter Aristomenes.
Insideant timidæ timidorum busta columbæ,
Nos aquilæ intrepidis signa benigna damus.



COMMENTARIA.

Aquila, auis magna, regalis, & nobilissima, quæ Iouis ales dicitur, vel quia sola contra Solis radios apertis atque immotis oculis volando obtuitum non flectit, vel quia etiam nūquam fulmine tactam fertur: ideoq; etiam Iouis armiger à Poëtis appellatur, vt Virg. Aen. lib 2. Deq; ejus acutissima oculorum acie, sublimi & altissimo volatu atque etiam mirabili natura, inter alios refert Plin. li. 10 cap. 3. Interrogatur autem qua ratione insideat sepulcro magni Aristomenis (Principis Messenij

nij, iustissimi, fortissimiq;, qui magna sua calliditate, ac eximia indust ia plures Lacedæmones decepit, eorumq; in bello semel sua manu trecētos interfecit, sæpius ex carceribus euasit, tandem ab illis occisus, inuentum est cor ejus pilosum, & hirsutum fuisse. Testes sunt Plin. lib. 11 cap 37. & Pausanias. Enarrat etiam pulchrè Crinit. lib 13 cap 7 de honesta disciplina.) Respondet Aquila, hoc ideo, quod vti ipsa inter cæteras aues præstantissima sic etiam Aristomenem inter semideos, hoc est, famigeratissimos viros fuisse celeberrimum. Timidæ igitur Columbæ sint arma perterritorum, & imbellium, nos damus præclara insignia magnanimis Principibus.

Qui alta contemplantur, cadere. LXXXIII.



Dum turdos visco? pedica dum fallit alaudas,
Et iacta altiu' lam figit arundo gruem,
Dipsada non prudens anceps pede perculit: vltrix
Illa mali, emissum virus ob ore iacit.
Sic obit, extento qui sydera respicit arcu,
Securus fati, quæ iacet ante pedes.

COMMENTARIA.

Anceps quidam dum turdis visco, & alaudis ped ca, & laqueis quibus pedibus capiuntur, insidiatu , dumq; sagitta volanté gruem tráſfigere cupit, impruđẽ, pedibus pressit jacentem in herbis Dipsa em (colubri, seu serpentis genus est, morsu suo inextinguibilẽ sitim adferens: vt Lucan. lib. 9.) quæ dolore irritata vlciscitur, oreq; venenoso momordit eum: sic ille parum prouidus, qui dum arcu extenso in sublimi alterum vena i vult, periculum ante pedes non considerans, ipse perit. Similis extat fabella Æsopica de Aucupe & Vipera. Fertur huiusmodi ferè de Thalete Philosopho clarissimo, qui priùs Astrologiæ inuentor, eiusq; peritissimus fuit, quum nocte quadam à vetula vt astra contemplaretur extra domum ductus in foueam incidit, quem lugentem derisit anus, dicens, Quomodo, ô Thales, quę alto in cęlo sunt, agnosces, quum ea, quæ ante pedes adsunt, considerare nequeas? Enarrat inter alios Dio. Laërtius lib. I. de vita Philosophorum.

Imp-

Impoſſibile. LXXXIII



Abluis Æthiopem quid fruſtra? ah deſine, noctis
Illuſtrare nigræ nemo poteſt tenebras.

COMMENTARIA.

Æthiops à natura nigerrimus. Solis enim vicinitate ſuæ regionis populi cremantur: ideóq;, etiam ſi plurimùm lauetur, nigredo tamen non tollitur, & in vanum laboratur. Nemo enim vnquam illuſtrare poterit obſcuras tenebras noctis. Et in prouerbium abiit, Æthiopem lauas. Eraſmus in Chiliad.

Arte quandoque ſalutem redimendam. LXXXV.

Et pedibus ſegnis, tumida & propendulus aluo,

Hac tamen insidias effugit apte fiber.
Mordicus ipse sibi medicata virilia vellit,
Atque abicit, sese gnarus ob illa peti.
Huius ab exemplo disces non parcere rebus,
Et vitam vt redimas, hostibus ara dare.




COMMENTARIA.

Fiber, aliàs Castor appellatur, animal est amphibion, quod in terra & aqua viuere potest: caudam habet piscis, cætera ferè canis sunt. Cuius genitalia in medecina plurimum conducunt. Et licet currendo tardus sit ob ventrem tumidum & ad terram pendentem, effugit tamen interdū ingeniosè venatorum insidias, hoc modo, dentibus sibimet genitalia eripiens, eáque ante conspectum prosecutoris proiicit, gnarus illum ob ea tantùm vena-

venari: & ita euadit. Cuius exemplo discimus aliquando diuitiis non esse parcendum, sed pro salute hostibus etiam pecunias dare, maximè expedire. Pariter in Æsopicis habetur fabulis de Castore virilia sibi amputante: & recitat Plin. lib. 8. cap. 30. probe Ælianus lib. 13. cap. 47 histor. Animal.

Captiuus ob gulam. LXXXVI.



Regnator penus & mensæ corrosor herilis
Ostrea mus summis vidit hiulca labris,
Queis teneram apponens barbam falsa ossa momordit,
Illa recluserunt tacta repentè domum,
Deprensum & tetro tenuerunt carcere furem,
Semet in obscurum qui dederat tumulum.

COMMENTARIA.

Mus quidam penum inhabitans, vbi victus

variorum domini ferculorum conseruabantur, singula corrodens, vtq; nihil intactum relinqueret, vidit inter alia Ostrea hiulca, fissa, testisq; apertis: accurrit auidè, ac momordit. Ostrea verò læsa repentè domum recludunt, capto & strangulato fure, qui semetipsum in illo obscuro sepeliuit tumulo. Et de meritò deprehensis, pœnaq; dignis, dicitur prouerbialiter illud, Decipula murem cepit. De Ostreis etiam Plin. lib 32 cap. 6

Diues indoctus. LXXXVII.



Tranat aquas residens pretioso in vellere Phryxus,
Et flauam imprudens per mare scandit ouem.
Ecquid id est? vir sensu hebeti, sed diuite gaza,
Coniugis, aut serui quem regit arbitrium.

COMMENTARIA.

Phryxus filius fuit Athamantis Regis Thebarum

barum ex priore vxore, qui nouercæ insidias timens, cum sorore sua Helle, fugam parauit, acceptoq; à patre Ariete aurei velleris ejus dorsum ambo ascenderunt, vt Pontum mare illud tranarent. Helle verò magnitudine maris perterrita decidit, & submersa est, vnde mare illud ab ea etiam hodie Hellespontus dicitur. Ille verò in Colchos tandem peruenit, ibiq; Arietem immolauit, ac aureum ejus vellus in Templo suspendit &c. Valer. Flacc. in Argon. Est autem factum tale: Viri quidem diuitis & opulenti, sed intellectu & ratione carentis, qui arbitrio voluntatéve vxoris aut serui regitur. Quid autem re vera fuerit aureum vellus, enarrat Antonius Sabellicus, Ennead. 1 libro 5.

In adulatores. LXXXVIII.



Semper hiat, semper tenuem, quia vescitur, auram,
Reciprocat chamæleon,
Et mutat faciem, varios sumitq́ colores,
Præter rubrum, vel candidum:
Sic & adulator populari vescitur aura,
Hiansq́ cuncta deuorat,
Et solùm mores imitatur principis atros,
Albi & pudici nescius.

COMMENTARIA.

Chamæleon animal est frequens in India, semper hians & aperto ore aërem, quo solo viuit, & nutritur, attrahens, & respirans: sæpe, facillimeq́ in varios colores conuertitur, excepto rubro, & albo, de quo Arist. lib. 2. de natura animal. Plin lib 8 cap 33. & Democrit. in lib. de potestate Chamæleontis. Ouid. quoque lib 15 Metamor.

Id quoq; quod ventis animal nutritur & aure,
Protinus assimulat, tetigit quoscumq; colores.

Sic etiam adulator alitur & sustentatur fama solummodo populi, inhiansq; cuncta deuorat: imitatur facillimè superioris sui nigros & peruersos mores: ab albis verò & rubris, id est sine labe puris atque pudicis, totus alienus est.

Dulcia quandoque amara fieri. LXXXIX.

Matre



Matre procul licita paulum secesserat infans
Lydius, hunc diræ sed rapuistis apes:
Vene at hic ad vos placidas tamen esse volucres,
Quum nec ita immitis vipera sæua ferit.
Quæ datis, ah dulces stimulos pro munere mellis,
Proh dolor, heu sine te gratia nulla datur.

COMMENTARIA.

Lydius infans, id est, Amor Cupido in Lydis natus (Lydios autem mortalium omnium mollissimos, & effœminatissimos fuisse, refert Leonicus, ex Clearcho lib.3. cap.95 de varia histor.) Quum paulò longius a Venere matre sua secessisset, ad apes venit, quæ, dum mella colligere vult, illum grauissimis ictibus inuadunt, ipseq; fugiens, pro dulci melle amaros stimulos ad matrem reuertens at-

tulit. Docemur, vix vnquam iucundi aliquid, absque dolore siue molestia aliqua contineri, Hinc vulgo adagio dicitur, Ne quære mollia, ne dura feras. apud Erasm.

Ferè simile ex Theocrito. XC.



Alueolis dum mella legit, percußit Amorem
Furacem mala apis, & summis spicula liquit
In digitis: tumido gemit at puer anxius vngue,
Et quatit errabundus humum. Venerique dolorem
Indicat, & grauiter queritur, quod apicula paruum
Ipsa inferat animal tam noxia vulnera poßit.
Cui ridens Venus, Hanc imitaris tu quoque, dixit,
Nate feram, qui das tot noxia vulnera paruus.

COMMENTARIA.

Amor paruulus puer ad apes fortè accesserat, mites eas auiculas esse credens, mella

fur

furaturus, mox autem ab vna in summo digitulo, acerbissimo ictu læsus, ille dolorem grauiter ferens, gemit, decurrit, furit, ad matrem denique plorans reuertitur, inflatum digitum ostendens, déque acerbissimo ictu auiculæ adeò pusillæ conqueritur. Cui Venus subridens respondit, hanc etiam tu, fili mi, auiculam imitaris, qui paruulus es, noxia tamen & crudelia vulnera geminibus infers. Amor etsi paruus videatur, ingentia tamen haud rarò mala excitat.

In eum, qui sibi ipsi damnum apparat. XCI.



Capra lupum non sponte meo nunc vbere lacto,
Quod malè pastoris prouida cura iubet.
Creuerit ille simul, mea me post vbera pascet.

Improbitas nullo flectitur obsequio.

COMMENTARIA.

Capra lactans inuita & nutriens lupum adhuc paruulum, mœsta conqueritur quòd hoc ita pastori placeret, quandoquidem postea quam succreuisset, statim illam deuoraturus esset: nequitia enim, & improbitas non est memor beneficiorum. Et hoc prouerbialiter dicitur, Alere luporum catulos. nam Lupus pilum mutat, non animum. vide Chiliad.

Remedia in arduo, mala in prono esse. XCII.



Æthereis postquam deiecit sedibus Aten
Iupiter, heu vexat quàm mala nixa viros.

Euolat

Euolat hæc pedibus celer, & pernicibus alis,
Intactumq; nihil cessibus esse sinit.
Ergo Litæ, proles Iouis, hanc comitantur euntem,
Sarturæ quicquid fecerit illa mali.
Sed quia sternipedes, luscæ, lassæq; senecta,
Nil nisi post longo tempore restituunt.

COMMENTARIA.

Ate, Dea fingitur noxæ, inimicitiarum, omnisq; destructionis, pernix ac volucris, quæ postquam de Cælo eiecta fuit, protinus in terris hominum mentes seducere, variisq; malis implicare cœpit, pergitq; celerrimo volatu, loca omnia fœdans, atque perturbans. Huic autem opponuntur, eamq; comitantur Litæ Iouis filiæ, precatrices, & reconciliatrices amicitiarum dissutarum. Eæ quod Ate inter mortales turbat, conantur reficere: sed quoniam strabis oculis, claudis pedibus, & ob senectam lassæ, defatigatæq; lentè admodum incedunt, vix Aten illam velocem assequi possunt: idcirco nihil confestim, sed tardè denique restaurant: vt ingeniosè commentatus est Homerus Iliad.9. Significans offensas quidem veloces esse, reconciliationes verò tardissimas.

Eloquentia fortitudine præstantior. XCIII.



Arcum læua tenet, rigidam fert dextra clauam,
Contegit & Nemees corpora nuda leo.
Herculis hæc igitur facies? non conuenit illud
Quòd vetus & senio tempora cana gerit.
Quid quòd lingua illi leuibus traiecta catenis,
Queis fissa faciles allicit aure viros?
Anne quòd Alciden lingua, non robore Galli
Præstantem populis iura dedisse ferunt?
Cedunt arma togæ, & quamuis durissima corda
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

COMMENTARIA.

Describit pictam hîc imaginem, quæ arcum sinistra, dextra verò ferream clauam tenet, indutaq; pelle Leonis ex Nemea (regio est Arcadiæ, in cuius quadam sylua Hercules ingentem occidit Leonem, eius deinde pelle vesti-

vestiebatur, vt apud Theocrit. lib. 21) Herculis igitur est figura, sed non cõuenit canicies, nec catena illa, quæ sibi lingua hæret: leuiter autem auriculas plurimum virorum tenet. Hoc autem significatur fortissimum Alcidem (id est, Herculem, sic dictum à Græco nomine ἀλκὴ quod est robur) iura dedisse & subegisse feroces populos, non vt iuuenis fortitudine, seu armis, sed instar senis prudentis, eloquentia sua singulari. Cedunt arma togæ, id est, bella interdum aspera eloquentiæ vi & persuasione docta faciliùs dirimuntur & sedantur. Toga enim pro pace accipitur: nam huiusmodi habitu vtebantur prisci Romani, præsertim pacis tempore. Disertus denique poterit vel durissimos etiam homines, & ferocissimos, eloquentia citiùs, quàm robore & violentia, in suam sententiam trahere, vt de Hercule habetur apud Xenophontem.

In receptatores sicariorum. XCIIII

Latronum, furumq; manus tibi Scæua per vrbem
It comes, & diris cincta cohors gladijs:
Atq; ita te mentis generosum, prodige, censes,
Quòd tua compluris allicit olla malos.
En nouus Actæon: qui postquàm cornua sumpsit,
In prædam canibus se dedit ipse suis.



COMMENTARIA.

Actæon filius Aristei, venationibus plurimùm delectabatur, ideoq; canes complures domi suæ alebat. Quum verò semel post venationem defatigatus ad fluuium quendam secretum lauandi recreandiq; gratia sese contulisset, ibi fortuitu vidit Dianam (venationis deam, castitatis & sollicitudinis amicam,) nudam se lauantem, quæ ob illud indignata statim illum in ceruum transmutauit: quumq; domum redire vellet, à canibus suis propriis laniatus & discerptus fuit, vt elegantissimè Ouid. lib.3. Metam. idemq; breuiter lib. 2. de Tristib.

Inscius Actæon vidit sine veste Dianam:
Præda suis canibus non minus ille fuit.

Sic etiam nonnulli vel ideo se generosos,

liber

liberales,& magnanimos putant,quòd latrones. homicidas, proditores, & huius farinæ homines fouent, nutriunt, eisq; comitibus superbè incedunt: quum hi prodigi potiùs sint, nihilque aliud, quàm nouum Actæonem repræsentent.

Fidei symbolum. XCV.



Stet depictus Honor Tyrio velatus amictu,
Eiusq; iungat nuda dexteram Veritas.
Sitq; Amor in medio castus, cui tempora circum
Rosa it, Dionis pulchrior Cupidine.
Constituunt hæc signa fidem, reuerentia Honoris
Quam fouet, alit Amor, parturitq; Veritas.

COMMENTARIA.

Ex tribus constare fidem asseritur. Stet igitur Honor indutus amictu Tyrio, id est,

veſte purpurea (Tyrus enim vrbs eſt vetus & nobilis in Phœnicia, vbi capiũtur Conchylia, quæ purpuræ vocantur, quorũ ſanguine tinguntur veſtes purpureæ, Plin.li.5 c.19. ideo q; Tyriæ veſtes dicuntur, & hujuſmodi habitus puritatẽ & honeſtatẽ ſignificant) : ſique nuda veritas dextra iungatur (hæc enim omnes fucos, perplexitates & ornamenta odit, propterea ſimplex & nuda proponitur.) In medio autem adſit amor caſtus coro'nam roſeam in capite gerens, de quo ſuprà Embl. 81. qui longè pulchrior eſt, quàm alius ille Cupido filius Dione, id eſt Veneris, ſic dictæ à Dione Nympha matre eius. Hæc igitur tria ſigna fidẽ ipsã conſtituent, quam honoris reuerentia fouet, amor verus alit, ſancta veritas parit.

In vitam humanam. XCVI.



Plus

Plus solito humanæ nunc defle incommoda vitæ,
Heraclite: scatet pluribus illa malis.
Tu rursus, si quando aliàs, extolle cachinnum
Democrite: illa magis ludicra facta fuit.
Intereà hæc cernens meditor, qua deniq; tecum
Fine fleam, aut tecum quomodo splene iocer.

COMMENTARIA.

Heraclitus philosophus fuit Ephesius: libros composuit de industria adeò obscuros, vt vix à quoquam etiam doctissimo intelligi potuerint, ideóque tenebricosus cognominatus fuit. Is, præsertim domum egrediens, semper plorabat: sibi enim omnia mundana non nisi miseriæ videbantur & angustiæ. Alter erat Democritus ex Thracia, in omni philosophiæ genere peritissimus, qui tandem (teste Cicer. libro 5. Tuscul. quæst.) semetipsum obcæcauit, vt promptiores & subtiliores deliberationes haberet, ad inuestiganda Naturæ secreta. Hic omnes hominum actus tanquam ineptias & ludicra continuò ridebat. De quo etiam Gell. lib. 10. cap. 17. & horum meminit Cicero lib. 4. de Academicis. Sed nunc ô Heraclite, luge & defle humanæ vitæ incommoda acriùs: hoc enim nostro tempore longè pluribus, quàm vnquàm anteà, malis & miseriis scatet. Imò tu, Democrite, nunc extolle risum in cachinnum v-

que: Mundus etenim ridiculus magis, multúmque ineptior factus est.

In statuam Amoris. XCVII



Quis sit amor plures olim cecinere Poëtæ,
Eius qui vario nomine gesta ferunt.
Conuenit hoc, quòd veste caret, quòd corpore paruus,
Tela, alasq́ferens, lumina nulla tenet.
Hæc ora, hic habitusq́ Dei est: sed dicere tantos
Si licet in vates, falsa subesse reor.
Eccur nudus agit? Diuo quasi pallia desint,
Qui cunctas dominus possidet orbis opes.
Aut qui quæso niues, Boreamq́ tuadere nudus
Alpinum potuit, strictaq́ prata gelu?
Si puer est, puerumne vocas qui Nestora vincit?
An nosti Ascræi carmina docta senis?
Inconstans puer hic, peruicax, pectora quæ iam

Trans

Traxs adijt nunquam linquere sponte potest.
At pharetras & tela gerit, quid inutile pondus?
An curuare infans cornua dura valet?
Alas curve tenet, quas nescit in æthera ferre?
Inscius in volucrum flectere tela iecur.
Serpit hami, semperq; virûm mortalia corda
Lædit, & haud alas saxius inde mouet.
Si cæcus, vittamq; gerit, quid tania cæco
Vtilis est? ideo num minus ille videt?
Quis te sagittiferum credat qui lumine captus?
Hic certa, est cæci spicula vana mouet.
Igneus est, aiunt: versatq; in pectore flammas:
Cur, ego, viuit adhuc? omnia flamma vorat.
Quinetiam tumidis cur non extinguitur vndis,
Naiadum quoties mollia corda subit?
At tu, ne tantis capiare erroribus, audi,
Verus quid sit Amor, carmina nostra ferent.
Iucundus labor est, lasciua per otia, signum
Illius est, nigro punica glans clypeo.

COMMENTARIA.

Poëtæ quàmplurimi olim quis sit Amor Cupido, quæq; eius potentia & facta, prolixè scripserunt, vtpote Apuleius de asino aureo, Virgil. de Venere & Baccho, Ouid. lib. 1. Metamorph. & Propert. lib. 2. in Eleg. de Amore, admirans quærit,

Qui umq; ille fuit puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus? &c.

Fingunt enim cupidinem nudum, puerulum, arcu, telísque ornatum, alatum, ac denique cæcum. Auctor verò (omnium tamen pace) hæc minimè Cupidini conuenerit putat, inquiens, Quid enim nudus esset, quasi tanto Deo, qui Mundo dominatur, e úsque omnes opes possidet, vestimenta desint? quin & niues, ventos, pluuias, asperrimáque frigora sufferre posset? quo modo autem puerulus dicitur, quum vel Nestoreos annos excedat? (vixit autem Nestor, Rex Pyli in Græcia, tres hominum ætates, hoc est, trecentos annos quem sic loquentem introducit Ouid lib. 12. Meta Vixi annos biscentum, nunc tertia viuitur ætas) Accedit quòd puer errans, & inconstans est, hic verò obduratus, víxque mutabilis est, inhæret enim firmissimus pectoribus semel transfossis. Cur arcum & tela fert, potis estne paruulus durum arcum extendere? pondera secum circumferre? Quid sibi alæ prosunt, quum nec in altum se extollere, nec volando auiculas in aëre venari possit, qui hominum in terris solùm animos sauciat? Si cæcus dicitur, quid insuper opus est, panniculo oculos claudere, an quia fortè minus videat? quorsum autem visu priuatus sagittas diriget? Si, vt perhibent, igneus est, facésque in pectore gerens, quomodo superstes esse potest, quandoquidem omnia consumat ignis?
quin

quin aquis extinguitur, quotiés mollia Naiadum pectora penetrat? (sunt autem Naiades Nymphæ, siue Deæ fluminum, & fontium.) Cæterùm ne huiusmodi lector erroribus & varietatibus inuoluatur, breuiter quid sit Amor explicabo. Est igitur iucundus labor in lasciuo otio, cuius signum est punicum malum in clypeo nigro. Hæc Auctor cuilibet pro arbitrio interpretanda relinquit.

Ei, qui semel sua prodegerit, aliena credi non oportere. XCVIII.



Colchidos in gremio nidum quid congeris? eheu
Nescia cur pullos tam malè credis auis.
Dira parens Medea suos sæuissima natos
Perdidit, & speras parcat vt illa tuis?

COMMENTARIA.

Reprehendit auiculam (hirundinem, ni fallor) cur misera illa nidificet in sinu Colchidis, illius crudelissimæ fœminæ Medeæ, quandoquidem sanguinaria illa mater propriis non pepercerit filiis, multo minus alienis miserebitur pullis. Fuit autem Medea filia Oetæ regis Colchorum, quę etiam Colchis vocatur à regione patriæ (cujus meminimus & suprà Embl. 44) Venefica, & incantatrix maxima, quæ quum Iasonem ex Thessalia venientem perditè amaret, illum adiuuit vt vellus aureum, quod in templo à Dracone custodiebatur, acquireret, & Draconem occideret: quo facto vnà cùm Iasone clàm aufugit, vt prolixè scribit Valerius Falccus in Argonaut. & attigit Ouid. lib. 7. Metamor. in princip. Ob hoc pater eam celerrimè prosequebatur: illa verò fratrem suum paruulum, quem secum abduxerat, occidit, & in frusta multa secauit, ac sparsim in variis locis proiecit, vt scilicet pater persequens in colligendis hinc inde dissipatis membris retardaretur, ipsaque interim commodiùs aufugere posset. Quum verò jam diu cum Iasone vixisset, & multos liberos procreasset, tandem Iason pertæsus eam repudiauit, & Creüsam Corinthiorum Regis filiam vxorem accepit: quamobrem illa indignata, in vindictam

omnes, quos ex Iasone habuit filios, occidit: Creüsam vnà cum domo Regia exussit & aufugit. Hinc illud Ouid. lib. 1. de arte amandi:

Cui non defleta est Ephyraeae flamma Creüsae,
Et nece natorum sanguinolenta parens.

Doctos doctis obloqui nefas esse. XCIX.




Quid rapis, heu Progne, vocalem saeua Cicadam,
Pignoribusque tuis fercula dira paras?
Stridula sit, id nempe, vernam verna hospita laedis
Hospitam & aligeram penniger ales auem?
Ergo abiice hanc praedam: nam musica pectora summum est:
Alterum ab alterius dente perire nefas.

COMMENTARIA.

Increpat hirundinem auem, cicadam rapientem.

pientem, his verbis: Quid rapis, dira Progne, cantantem Cicadam, quid escam adeò crudelem tuis pullis paras? tu stridens stridentem, æstiualis, æstiualem hospita hospitam, volans volantem, auis denique auem perdis? quin potiùs proiice, demittéque huiusmodi prædam: iniquum enim est & injuriosum, ejusdẽ conditionis musicos animos inuicem insidiari. Quomodò autem Progne in hirundinem sit mutata, dictum est suprà in Emble. 44 ex Ouid. lib. 6. Metam. Hirundines hyeme discedere videmus, & refert Plin. lib. 18. cap. 13 pariter & Cicadas frigoris tempore euanescere. Idem lib 11. cap. 26 Vtræque etiam aduentu suo æstatem præsagiunt.

Mulieris famam, non formam, vulgatam esse oportere. C.



Alm

Alma Venus, quænam hæc facies, quid denotat illa
Testudo, molli quam pede Diua premis?
Me sic effinxit Phidias, sexumq́ referri
Fœmineum nostra iussit ab effigie,
Quodq́ manere domi & tacitas decet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

COMMENTARIA.

Interrogat Venerem amoris Deam, quid sibi velit hæc sua effigies, quídve testudo illa sub eius pedibus? Quæ respondit, se non incassum sic effictam & sculptam à Phidia, præstantissimo illo, præsertim in ebore, statuario, cuius meminit Plin. lib. 36. cap. 5. Exprimere enim tali figura voluit quales esse fœminas atque puellas oporteat, taciturnas scilicet, domíq; manentes. Testudo etenim nullam prorsus vocem edit, nec vnquam domum suam exit, imò illam vbiq; secum Cochlea circumfert, vt habetur Æsopicus apologus de Ioue & Cochlea. Tale etiam extat vetustissimum ænigma de testudine,

Terrigena, herbigrada, domiporta, & sanguine cassa,
Sub pedibus Veneri Cous quam pinxit Apelles.

Præsensit, vt arbitror, Phidias mulierem animal esse à natura loquax, sagax, ac versatile: nam licet hucilluc (vt plurimùm desiderat) discurrere prohibeatur, fenestram ta-

men sibi adeò amicam facit vt nunquam derelinquat.

Bonis à diuitibus nihil timendum. CI.



Iunctus contiguo Marius mihi pariete, necnon
Subbardus, nostri nomina nota fori,
Ædificant bene nummati, sataguntq; vel vltrò
Obstruere heu nostris vndique luminibus.
Me miserum, geminæ quem tanquam Phinea raptant
Harpyiæ vt proprijs sedibus eijciant.
Integritas nostra, atque animus quæsitor honesti,
His nisi sint Zethus, his nisi sint Calais.

COMMENTARIA.

Conqueritur de duobus suis vicinis Mario & Subbardo, quòd hi, quia diuites multùm inquieti,

inquieti,& ædificando admodum sibi molesti sint, adeóque vt omni ferè ex parte lumen domus suæ abstulerint, séque miserum non secus ab eis affligi & vexari, quàm olim Phineum molestarint Harpyiæ ex propriis denique ædibus eiicerent, nisi sua integritas, honestique animi felicitas sibi essent protectores, quemadmodum Phineo fuerunt Zethes & Calais. Phineus, Rex Arcadiæ quum filios suos primæ vxoris, impulsu & persuasione secundæ ductæ, obcæcasset, Dij irati ipsum etiã excæcauerunt, & subinde Harpyias (aues rapaces & fœdas, capitibus humanis; de quibus Virgil. lib 3. Æneid.) immiserunt, quæ eum vexarent: cibos enim eius continuè aut rapuerunt, aut fœdauerunt. Tandem quum fortè eò venisset Iason, magnanimus ille Princeps, cum Argonautis, & à Phineo humaniter admodum excepti, in remunerationem miserunt Zethen & Calaim filios Boreæ, alatos & optimos sagittarios, vt Harpyias ex regno Phinei fugarent: quod factum fuit, vt legitur apud Valerium Flaccum in Argonaut. lib. 4.

Consilio & virtute Chimæram superari, id est, fortiores & deceptores. CII.

Bellerophon vt fortis eques superare Chimæram,
Et Lycij potuit sternere monstra soli:
Sic tu Pegaseis victus petis æthera pennis,
Consilioq; animi monstra superba domas.



COMMENTARIA.

Bellerophon filius Regis Glauci, adolescens insignis pulchritudinis, & summæ virtutis, quem Prœtus regno priuatum, sibi seruire jussit. Sthenobœa verò vxor Prœti eum adamauit, & vt secum stuprum committeret sollicitauit: ille verò lasciuam fœminam repulit, vnde spreta mulier exardens coram Rege falsò illum accusauit, quasi eam oppressurum. Rex verò hoc audito, nolens tamen domi de illo pœnas sumere, misit eum ad socerum suũ Regem Lyciæ, addita epistola, qua crimen con-

continebatur Rex ille, lectis litteris indignatus varijs hostibus & periculis Bellerophontem vt periret obiecit. Ille verò semper victor euasit: tandem etiam missus vt Chimæram monstrum, maximo suo periculo, interficeret, (Fuit autem Chimærea monstrum horribile in Lycia, à capite Leo, in medio Capra, in cauda verò Draco, & grauem ignem ex ore spirabat, secundum Homerum libro 6. Iliados.

Quæq; Chimæra iugo mediij in parte habens hircum,
Pectus & ora leæ, caudam serpentis habebat.)

ascendit ille astutè admodum (teste Strabone li. 4.) Pegasum equum alatum, de quo Ouid. lib 4. Metam. & Chimæram deuicit & intercemit: ob hoc laudem pancisce batur maximâ, adeoq; vt Rex ille Lyciæ alteram suam filiam ei in vxorem dederit. Quod audiés vxor Prœti seipsam occidit. Monemur cuncta mala, iniquos etiam & peruersos superandos esse, & supprimendos, animi virtutibus magnanimitate, consilio & prudentia. Quid verò re vera fuerit Chimæra, quid Pegasus, quid denique reliqua Poëtarum figmenta, ex Palæphato de non credendis fabulis petere licebit. Quid etiam Dij Deæq; antiquorum significauerint, consulendus est Eusebius de præparatione Euangelica.

Tumulus Ioannis Galeacij Vicecomitis.

mi Ducis Mediolanensis. CIIII.



Pro tumulo pone Italiam, pone arma, Ducesq;,
Et mare, quod geminos mugit adusq; sinus.
Adde his barbariem conantem irrumpere frustrà,
Et mercede emptas in fera bella manus.
Anguifer ast summo fistens in culmine, dicat:
Quis paruus magnum me super imposuit?

COMMENTARIA.

Quicumque duci strenuo, generoso, & ma-
gnanimo tumulũ extruere volet, nihil omni-
no aliud præter felicem, ac imperterritam in-
tegram Italiam ponat, armis, Ducibusq; suis
optimè munitam & ab vtraq; parte, hîc Tyr-
rheno, illic Adriatico mari clausam. Addat in-
super barbaras multiplices gentes circumcir-
ca maximis militũ copiis, vehementi, ardentiq;
impetu-

impetu nequicquàm & incaſſum eam inuadere molientes Ejus nam ; ſummitate ſupereminet imperterritus ille auguſter,(Mediolanenſis Dux,de cujus inſign.is angue præ ſe ferentibus dictũ ſuprà Embl 1.) aſpernás omnia,& flocciipendens, quis, inquit,me magnũ rebus exiguis ſuperimpoſuit? Italiæ autẽ ſitũ, amœnitatem fertilitatem gloriam,bellicasq; virtutes, tam Coſmographi, quàm Chronici Hiſtoriographi innumeri prolixè deſcribunt, inter quos Strabo l b.5 Deq; ejus potentia,& bellica eminentia,elegans eſt oratio Regis Agrippæ apud Ioſephum hiſtoriographum de bello Iudaico,lib.2.c.16.Extat & Belſolis Regis perpulchra epiſtola,apud Crinit. l 8.cap. 11. de honeſt diſcipl. & Chronici paſſim.

Optimus ciuis. CIIII.



Dum iustis patriam Thrasybulus vindicat armis,
Dumq; simultates ponere quemq; iubet.
Concors ordo omnis magni instar muneris illi
Palladiæ sertum frondis habere dedit.
Cinge comam, Thrasybule, geras hunc solus honorem,
In magna nemo est æmulus vrbe tibi.

COMMENTARIA.

Thrasybulus, strenuus & nobilis Atheniensis, qui vnà cum pluribus suis conciuibus à Tyrannis ejectus exulabat. Ille tandem præter cæteros pro patria communiq; salute, etiam magno cum periculo aliquid moliri ausus fuit: tantum denique profecit, vt patriam à triginta sæuissimis Tyrannis simul, vnoq; tempore liberauerit: omnes insuper simultates, ac odia clandestina deponi fideliter admonuerit, de quo apud Iustinum lib 5. histor. Totus itaq; populus coadunatus, sertum, siue coronam ex frondibus oliuæ contextam, maximi muneris loco vnanimeter capiti ejus imposuit. Est autem Oliua arbor Palladi sacrata, teste Plin. lib. 12 cap. 1. ipsa enim Oleæ inuentrix fuit. Ouid. lib. 6. Metam. & armorum Dea celebrata apud Diodor. Olea insuper paci dicata est: refert Hermogenes capite 1. de oratoria. Priscis etenim mos erat, strenuos milites multiuariis coronare coronis, prodit Gell. lib. 5. cap. 6.

In

In subitum terrorem. CV.



Effuso cernens fugientes agmine turmas,
Quis mea nunc inflat cornua? Faunus ait.

COMMENTARIA.

Faunus quum videret copias perterritas & fugientes, gloriabundus secum dicit: Quis nunc inflat mea cornua tantum timorem excitans: Faunus, aliàs Pan, Deus rusticorum & pastorum à Poëtis fingitur: Horat. lib. 3. carmin. Oda 18. Veteribus creditum fuit, hunc Deum repentinos timores & animi perturbationes hominibus immittere, sed omnino inanes, quales plerumque in bellis accidere solent. Hinc prouerbium manauit, Panicus terror, seu casus: de quo prolixiùs Angel. Politian. in Miscel. annota. 28. Sunt autē Fauni,

qui & Satyri appellantur, & Syluani, monstra Æthiopica, specie humana, cornigera, capripedibus valdeq; luxuriosa, enarrat Leonic. lib. 2. cap. 24. de varia histor.

In adulari nescientem. CVI.



Scire cupis dominus [illegible] Thessalus ora
Muniet, & ut variis quærat habere duces?
Nescit adulari, cuiquámve obtrudere palpum,
Regia quem in morem principis omnis habet.
Sed veluti ingenuus sonipes, dorso excutit omnem,
Qui moderari ipsum nesciat Hippocomen:
Nec sæuire tamen domino fas, ultio sola est,
Dura ferum ut iubeat ferre lupata magis.

COMMENTARIA.

Thessalia, regio est Græciæ famosa, montibus

tibus & ciuitatibus clara Strabo libro 9. gens inquieto ingenio, &c. T. Liuius Decad 4 lib. 4. hæc quare frequenter mutet dominos, & varios habeat Duces, rationē esse dicit, quòd illa abblādiri siue adulari nesciat (quod tamē in omnibus ferè Principum aulis increbruit:) sed veluti ferox atque ingenuus equus, non fert, sed mox deijcit quemcumque hippocomon, id est, equisonē, illum non rectè gubernantem. Nec tamen is equo grauiùs irasci, siue, vt vellet, sæuire audet: sed sola hæc vltio erit, vt durius & asperius sibi frænum iniiciat. De adulationibus autem & blanditiis perniciosis, plurima Cice. in Dialogo de amicitia, vbi post multa sic ait: Scitum enim est & hoc Catonis, multo melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces videantur. Illos namq; verum sæpe dicere, hos nunquam.

Insignia Poëtarum. CVIII.

Gentiles clypeis sunt qui in Iouis alite gestant,
Sunt quis aut Serpens aut Leo signa ferunt:
Dira sed hæc Vatum fugiant animalia ceras,
Doctaq; sustineat stemmata pulcher Olor.
Hic Phœbo sacer, & nostræ regionis alumnus,
Rex olim, veteres seruat adhuc titulos.

COMMENTARIA.

Varias ferarum figuras tam antiquorum,



quàm nostratium armis atque insignis depictas circumferri videmus; vt puta Aquilas, Serpentes, Leones, Apros, & huiusmodi, sed absint animalia tam crudelia à sacris Poëtis, quibus potiùs conuenit pulcher, suauissimique cantus, Olor, seu Cygnus: auis est candida, voce arguta, præsertim moritura, & Phœbo dedicata, vt refert Cic. lib. 1. Tuscul. quæst. inquiens, vt Cygni, qui non sine causa Apollini dicati sunt, sed quòd ab eo diuinationem habere videantur, quia prouidentes quid in morte boni sit, cum dulcissimo cantu & voluptate moriantur. Ælianus autem lib. 14. cap. 23. de natura animalium, sic ait, Cygnus à natura præclarissimum donum est consecutus: tanta enim eius animi est tranquillitas in extremo vitæ spiritu, vt sibi tanquam nænia

nænia canat &c. Phœbus autem, id eſt, Apollo, filius Iouis & Latonæ, creditus fuit Deus ſapientiæ, auctor carminum, & vaticinij præſes, cum Cithara pingitur & à Poëtis veneratur: ſuprà Embl. 46.

Muſicam Dijs curæ eſſe. CVIII.



Locrenſis poſuit tibi Delphice Phœbe cicadam
Eunomus hanc, palmæ ſigna decora ſuæ.
Certabat plectro Sparthyn commiſſus in hoſtem,
Et percuſſa ſonum pollice fila dabant.
Trita fides rauco cœpit quum ſtridere bombo,
Legitimum harmonias & vitiaro melos:
Tum citharæ argutans ſuauis ſeſe intulit ales,
Quæ fractam impleret voce cicada fidem,
Quæq; allecta, ſoni ad legem deſcendit ab altis
Saltibus, vt nobis garrula ferret opem.

I

Ergo tuæ ut firmus stet honos, ô sancte Cicada,
Pro cithara hic fidicen æneus ipsa sedet.

COMMENTARIA.

Eunomus Locrensis, præstantissimus Citharœdus, inuitus ab Aristone ad Musicale certamen prouocatus, & quum inter certandum Eunomo chordarum vna rupta defecisset, ideóq; dissona ferè harmonia effecta, protinus Cicada (in ea enim regione suauissimè cantant, & in Aristonis patria omnino silent & mutæ sunt, teste Plin. lib. 11. ca. 2. & Strab. lib. 6.) superuolans adstitit. & resonanti stridore vocis defectum suppleuit, adeóq; vt Eunomus victor declaratus fuerit: qui deinceps Apollini Citharam cũ Cicada ænea insidenti, in honorem obtulit, vt legitur apud Strabonem dict. lib. 6. Geograph. Quin Deus verus noster omnipotens, musicis laudatur instrumentis, vt passim in sacra pagina, præsertim apud Prophetam, in mille locis: Laudate Dominum in sono tubæ, in psalterio & cithara, in tympano & choro, in chordis, cymbalis, & organo &c.

In obliuionem patriæ. CIX.

Iandudum missæ patriæ, oblitusq; tuorum,
Quos tibi seu sanguis, siue parauit amor,
Romam habitas nec cura domum subit vlla reuerti,

Æternæ

Æternæ tantum te capiunt urbis honos.
Sic Ithacos fin præmiſſe monzes dulcedine loti
Liquerat & patriam, liquerat atq; ducem.



COMMENTARIA.

Corripit quendam jamdudum peregrè degentem Romæ ſcilicet, qui vrbis ejus excellentia & magnificentia tantùm allectus, vt patriæ ſuæ propriæ penitus oblitus, nec vlla amplius agnatorũ recordatio, nec amicorum & familiarium memoria, neque aliquod reuertendi deſiderium, non ſecus ac olim ſocij Vlyſſis, loto guſtato, & patriam & Ducem dereliquentes. Eſt enim lotos arbor quædam in Africa fructus ferens adeò dulces & ſuaues, vt nomen etiam genti terræque dederit, de quo Plin. lib. 13. cap 17. quos quum guſtaſ-

ſent ſocij Vlyſſis, noluerunt inde diſcedere, vix tandem & difficulter, verberibus etiam ab Vlyſſe repulſi, & nauigium adacti fuere. ſcribit Homer. Odyſſ. lib. 9 & Eraſm in Prouerb. Lotum guſtauit. Roma verò (omiſſis infinitis laudibus) communis patria eſt, vt inquit Modeſtinus in l. Roma. ff. ad municip. & omiſſis innumeris laudibus, eadem etiam caput orbis terrarum appellatur. Iuſtinianus Imperator in l. j. §. ſed & ſi. C. de vet. jure enucl.

Vnum nihil, duos plurimùm poſſe. CX.



Laërtæ genitum genitum quoq; Tydeos vna
Hac ære expreßit Zeuxidis apta manus.
Viribus hic præſtat, hic pollet acumine mentis:

Nec

Nec tamen alterius non eget alter ope.
Quum duo coniuncti veniunt, victoria certa est,
Solum mens hominem, dextráve destituit.

COMMENTARIA.

Zenalis antiquus pictor, effinxit simul Vlyssem Laërtis filium. & Diomedem, Tydei natum, quorum alter ingenio & prudentia præstabat, hic verò armis viribusq; pollebat: neuter tamen horum alterius adminiculo carere potuit: vix enim solus fortis, solúsve sapiens vincet, verùm illis conjunctis certa est victoria. Fuit autem Vlysses Græcorum ferè omnium callidissimus, facundissimus, & ingeniosissimus, idcóque in Trojano bello multa prudenter perfecit, de quibus passim apud Homer. & lib. 1. Odyss. de eo sic canit,

Oppida multa adijt, fuit huic sapientia nota,
Consilium variosq; dolos qui novit, & artes.

Vt refert Strab. li. 1. Diomedes autem Rex fuit, qui vnà cum Græcis ad obsidioné Troiæ profectus, adeò strenuè se gessit, vt post Achillem & Ajacem facilè palmam obtinuerit fortissimi, plurimas singulares pugnas aduersus insignes Trojanorum principes habuit, & inter alia cum Ænea nobili Trojano congressus, Venerem Æneam protegentem percussit: quapropter illa indignata multas ei miserias attulit, vxorem etiam eius adulte-

ram fecit: qua re cognita Diomedes, domum redire noluit, vt idem Homerus. Vicerunt denique Græci in Troiano bello non tam viribus & fortitudine, quàm astutia & calliditate, atque etiam mi[illegible] stratagematis, vt præter cæteros peregregiè Latinorum Poëtarum princeps aperit, lib. 2. Æneid.

In aulicos. CXI.



Vana palatinos, quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

COMMENTARIA.

Qui in Regum Principúmve aulis educantur & nutriuntur, hi quidem splendidè viuunt, comedunt ac bibunt lautissimè, vestiuntur

ſtiuntur magnificè, incedunt ſuperbè, adeòq; vt eorũ feliciſſima videatur vita. Interim tamen ſui iuris nòn ſunt, nec ingenuè liberi, imò aureis vinculis colligati dici poſſunt: quos reprehendit Seneca inquiens, ſtulti eſſe compedes ſuas, quamuis aureas, amare. Hinc aulicorum conditio in prouerbium abiit, Aureæ compedes.

In mortem præproperam. CXII



Qui teneras forma allicuit torſitq; puellas,
Pulchrior & tota nobilis vrbe puer,
Occidit ante diem, nulli mage flendus Areſti
Quàm tibi, cui caſto iunctus amore fuit.
Ergo illi tumulum tanti monumenta doloris
Aſtruis, & querulis vocibus aſtra feris.
Me ſine abis, dilecte? neq; ampliùs ibimus vnà?

Nec mecum in studijs otia grata teres?
Sed te terra teget, sed sati Gorgonis ora,
Delphinesq́; tui signa dolendo dabunt.

COMMENTARIA.

Lamentatur mortem præmaturam nobilis cuiusdam, pulcherrimiq; iuuenis, qui Aresti syncero amore, singularíq; amicitia coniunctus fuerat: ideo q; tum floridam eius ætatem, tum etiam vnicam dilectionem amarè luget, & in signum ingentis doloris tumulum sibi extruit. Exclamans quòd non solùm ille, verùm etiam Gorgonis ora & Delphines miserabile eius fatum deflebunt. Fuere autem Gorgones sorores, pulcherrimæ puellæ, filiæ Phorci, insulas Dorcadas in Oceano Æthiopico inhabitantes, quarum vna Medusa solo aspectu homines in lapides permutasse fertur: quod propter eius summam pulchritudinem fictum est: de qua Ouid. lib. 4. Metam. Delphines autem pueros mirum in modum adamasse, eorum q; interitum (ob desiderium) dolenda mœstitia deplorasse, auctor est Plin. lib. 9. cap. 8. Mors omnia æquat, absque aliquo respectu, iuuenésque, senésque, speciosos atque deformes rapit, vt venustè Ouid. in consolatione ad Liuiam de morte Drusi.

Fortuna arbitrijs tempus dispensat vbiq;,

Illa rapit iuuenes, sustulit illa senes.
Quæq; ruit, furibunda ruit, totumq; per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. *In dona hostium.* CXIII.



Bellorum cepisse ferunt monumenta vicissim
Scutiferum Aiacem, Hectoraq; Iliacum,
Baltea Priamides, rigidum Telamonius ensem:
Instrumenta suæ cepit vterq; necis.
Ensis enim Aiacem confecit, ac Hectora functum
Traxere Æmonijs cingula nexa rotis.
Sic titulo obsequij quæ mittunt hostibus hostes
Munera, venturi præscia fata ferunt.

COMMENTARIA.

Fertur Ajacem (qui inter Græcorum Duces post Achillem omnium fortissimus ex-

titit, de quo etiam plura suprà in Embl. 38. Dicitur autem scutiferus, quia scutum, seu clypeum habuit septem boum corius tectum: vt testatur Ouid. lib. 13. Metam. in principio, inquiés. Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax.) & Hectorem Troianorum principem præstantissimum, mutuò bellica dona dedisse, hic ensem egregium, ille verò cingulum militare ornatissimum exhibuit, & vterque suæ mortis instrumentum accepit. Ajax enim gladio semetipsum interemit, vt apud Ouid. in dicto lib. 13. Metam. Hector verò ab Achille superatus, cingulo illo ad currum religatus, ac circa vrbis mœnia tractus, misereque laceratus fuit: de quo Homer. & Virgil. lib. 1. Æneid. Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros. & prolixiùs hæc suprà Embl. 57. Sic plerumq; munera, licet sub specie obsequiorum hosti ab hoste missa, futuras calamitates præsagiunt.

*

FINIS LIBRI PRIMI.

Andreæ Alciati Emblematvm liber

secvndvs.

*

In diuites publico malo. I.

Anguillas quisquis captat, si limpida vertat
Flumina, si illimes ac sit adire lacus,
Cassus erit, luditq; operam: multam excitet ergo
Si cœnum, & vitreas palmula turbet aquas,
Diues erit sic iis res publica turbida lucro est,
Qui pace, arctis legibus, esuriunt.

COMMENTARIA.

Notus est Æsopi apologus, vbi piscator sibi fame moriendum esse dicebat, nisi aquam turbaret, vt fugientes pisces faciliùs in retia inciderent. hunc piscatorem prohdolor, plures quàm par esset rerump. turbatores imitantur.

In Iuuentam. II.

Natus vterque Iouis, tener atq; imberbis vterque,
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele,
Saluete, æterna simul & florete iuuenta,

Numine sit vastro quæ diuturna mihi.
Tu vino curas, tu victu dilue morbos,
Vt lenta accedat sera senecta pede.

COMMENTARIA.

Iupiter ex Latona Appollinem habuit, ex Semele vero Bacchum. Innuit hoc emblemate Alciatus, eos longæuos fore & prospera valetudine vsuros, qui curis edacibus & anxiis valedicent, & qui frugales & moderati erunt in victu, sed præcipuè in potu. Vino seu Baccho tribuit facultatem curas expellendi, modò sobriè eo vtamur. Medicis verò seu Apollini facultatem noxios humores purgandi. notandum verò Apollinem non solum Medicinæ dici deum, sed etiam musices, quæ non parùm valet ad amicos exhilarandos.

In pudoris statuam. 111.

Penelope desponsa sequi cupiebat Vlyssem,
Ni secum Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic offert Spartem, manet anxia virgo:
Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.
Ergo sedens velat vultus, obnubit ocellos:
Ista verecundi signa pudoris erant,
Queis sibi prælatum Icarius cognouit Vlyssem,
Hocq; pudori aram schemate constituit.

COMMENTARIA.

Pudoris simulacrum Pausanias refert fuisse

se donum Icarij. Mulieres magnam pietatem & reuerentiam parentibus debent: sed maritũ sequi & obseruare tenentur. Hinc Quintilianus declam.259. virgo ad patrem, nupta ad maritum pertinet. Icarius, Penelopes pater, quum Vlyssi genero persuadere non posset, vt Ithaca relicta Lacedæmonem migraret, filiam aggreditur, petitq; ab ea, ne se desereret. Vlysses, nolens summo jure in vxorem vti, ei permisit, vt, quem vellet, se sequeretur. Penelope, facie obtecta, nihil quicquam respondit. Pater ex eo, voluntate filiæ perspecta, eam marito reliquit, & in facti memoriam Pudoris simulacrum erexit.

Sirenes. IIII.

Absq; alis volucres & cruribus absq; puellas,
Rostro absq; & pisces, qui tamen ore canant,
Quis putet esse vllos? iungi hæc natura negavit:
Sirenes fieri sed potuisse docent.
Illicium est mulier, quæ in piscem desinit atrum,
Plurima quòd secum monstra libido vehit.
Aspectu, verbis animi candore, trahuntur,
Parthenope, Ligia, Leucosiaq; viri.
Has Musæ explumant, has atque illudit Vlysses,
Scilicet est doctis cum meretrice nihil.

COMMENTARIA.

Vltimus hujusce emblematis versus, Al-

ciati sententiam apertè declarat. Qui Musas colunt,& litteris assiduè incumbunt, vix vnquam vitiis inquinantur. Sirenes, Acheloi & Calliopes filiæ, Parthenope, Ligia & Leucosia, virginea facie in piscem desinentes. Alciatus eis alas detrahit: Sunt qui eas volucres faciant. Quòd ex eo conciliari potest, quod veteres scholiastæ referunt, Sirenes olim Musas ad certamē prouocare ausas fuisse de cantu: in quo certamine Musæ victrices Sirenibus plumas abstulerunt: De Sirenibus variè sentiunt auctores. Qui volet in illorum variis sententiis euoluendis tempus terere, legat Hom. Od. μ. Platonem in Phædro, Virg. Æneid.5 Ouid.l.5 Metamor. Macrob. in Somn. Scip. Plinium lib. 10 Gazam & Trapezuntium Cicer. 5. de Finib. Horatius in Sermonibus Desidiam Sirenem vocat. Nominis etymon est, Parthenope, à virginitate: Ligia, à canora voce: Leucosia, ab albedine.

Ficta Religio. V.

Regali residens meretrix pulcherrima sella,
Purpureo insignem gestat honore peplum,
Omnibus & laices pleno è cratere propinat:
At circum cubitans ebria turba iacet.
Sic Babylona notant, quæ gentes illice formas,
Et ficta stolidas relligione capit.

COM-

COMMENTARIA.

Hoc emblema ex 17. Apocalypseos sumptum esse palam est. De eo varij varia scripserunt. Multa Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei. Hoc certum est, mortales omnes sæpissimè specie recti decipi.

Gratiæ. VI.

Tres Charites Veneri assistunt, dominamq́; sequuntur
Hincq́; voluptates, atq; elementa parant.
Lætitiam Euphrosyne, speciosum Aglaia nitorem,
Suadela est Pithus blanditiis & ore lepos.
Cur nudæ? mentis quoniam candore venustas
Constat, & eximia simplicitate placet.
An quia nil referunt ingrati, atq; oscula inanis
Est Charitum? qui dat munera, nudus eget.
Addita cur nuper pedibus talaria? lucro
Qui citò dat, minimi gratia tarda pretij est.
Implicitis vlnis cur vertitur altera? gratus
Fœnerat, hinc remanent vna abeunte duæ.
Iuppiter his genitor, cæli de semine divas
Omnibus acceptas edidit Eurynome.

COMMENTARIA.

Gratias ex Eurynome Iupiter suscepit. Pinguntur autem nudę, quia beneficia non oportet esse fucata: Virgines & iuuenes, quòd nusquam senescere debeat aut intermori beneficij accepti recordatio: Sibi connexæ &

adhærentes, quia, vt ait Sophocles, ἡ χάρις χάριν φέρει: pedibus alata talaria habētes, quod gratia non debeat tarda esse. De his multa Pausanias in Heliacis variis in locis, Seneca lib de beneficiis, & Gyraldus syntagmate 8. vbi & adfert lepidum epigramma Romæ extans quod Gruterus refert in suo volumine inscriptionum. Tristes & anxij iubentur Gratiis litare. Notatio trium nominum ex ipso Alciati emblemate manifesta est.

Antiquißima quæque commentitia. VII.

Pallenæe senex, cui forma est hiſtrica, Proteu,
Qui modò membra viri fers, modò membra feri,
Dic age quæ species ratio te vertit in omnes,
Nulla sit: vt vario certa figura tibi?
Signa vetustatis, primæui & prafero secli:
De quo quisque suo somniat arbitrio.

COMMENTARIA.

Proteum facit hic pallenæum Alciatus: Probus verò eum Ægyptium dicit, Busirimq; ob crudelitatem nominatum ait. Hoc Emblema inconstantiam arguit, & eorum impudentiam qui ætate prouectiores, vel variis peregrinationibus defuncti, seu miscellanea lectione antiquarum historiarum imbuti,

buti, nihil audent mentiri.

Prudentes. VIII.

Iane bifrons, qui iam transacta, futuraq́ꝫ calles,
Quiq́ꝫ retro sannas, sicut & ante vides:
Tot te cur oculis, tot fingunt vultibus? an quòd
Circumspectum hominem forma fuisse doces?

COMMENTARIA.

Prudentia omnibus necessaria, sed præcipuè regibus, qui prudentes iure dicuntur, si præterita recordentur & futura prospiciant.

Infraudulentos. IX.

Parua lacerta, atris stellatus corpora guttis,
Stellio, qui latebras, & caua busta colis,
Inuidiæ pœnaq́ꝫ doli fers symbola pictus,
Heu nimiùm nuribus cognita zelotypis!
Nam turpi obtegitur faciem lentigine quisquis,
Sit quibus immersus Stellio, vina bibat.
Hinc vindicta frequens decepta pellice vino,
Quam formæ amisso flore relinquit amans.

COMMENTARIA.

De Ascalapho in stellionem verso nota est fabula apud Ouid. 5. Metam. Inuidum est animal. & quo, in vino mortuo, mulieres vtuntur ad faciem pellicum deformandam. Lentiginosas enim eas reddit, si vinum illud

hauserint. Pellem exuit, vt & angues, quam tamen illico deuorat, hominibus inuidens, quia scit exuuias illas magno remedio esse aduersus comitialem morbum. Quum autem pellis ipsius maculis & notis quàm plurimis aspersa sit, proculdubio id fraudis in eo animali indicium est. Quod & in hominibus locum habet, si vulgo credatur, qui vitiosum corpus dicit esse vitiosæ indolis imaginem, sempérque censet cauendum à claudis, gibbosis, strumosis, & id genus hominibus.

Luxuriosorum opes. X.

Rupibus in ipsis, summique crepidine saxi
Immitis fructus ficus acerba parit:
Quos corui comedunt, quos deuorat improba cornix,
Qui nihil humanæ commoditatis habent.
Sic fatuorum opibus parasiti & scorta fruuntur,
Et nulla insignes vtilitate iuuant.

COMMENTARIA.

Demosthenes diuites imperitos aureas pecudes appellabat. Aurum enim nec lanam, nec pellem, nec carnem habet, quæ possint hominibus vsui esse. Diogenes autem illos comparabat ficubus, quæ in præruptis locis nascuntur, quorum fructus, quum vix ac ne vix quidem ab hominibus colligi possint, solis cornicibus, coruis & graculis escam præben-

bent. Illi enim improbi diuites, quum piis ac bonis viris nullum vnquam beneficium impertiant, emunguntur sæpissime à scortis, parasitis, & id genus nebulonibus, qui malè partas diuitias peius dilapidant.

In desciscentes. XI.

Quòd sine egregios turpi maculaueris ortus,
In noxá, atque tuum verteris officium:
Fecisti quod capra, sui mulctraria lactis
Quum ferit, & proprias calce profundit opes.

COMMENTARIA.

Non satis est bene cœpisse, nisi ad finem vsque vitæ recto tramite decurratur. Ezechiel cap. 18 disertis verbis hoc docet. Præterea exempla quamplurima tum ex sacra, tum ex profana historia, nobis cum Solone fidem faciunt, finem vitæ præcipuè spectandum esse. Immo pejus audiunt qui, quum bene cœpissent, malè finierunt, quàm si nihil vnquam rectè in toto vitæ curriculo fecissent. Emblema è capra sumptum, ex se patet: accidit enim sæpius quàm vellemus.

Ex damno alterius vtilitas. XII.

Dum sæuis ruerent in mutua vulnera telis,
Vngue leæna ferox, dente timendus aper,

Accurrit vultur spectatum, & prandia captat.
Gloria victoris præda futura sua est.

COMMENTARIA.

Non dubium est, quin hoc emblemate Alciatus voluerit redarguere Principum Christianorum inter se rixas & bella: quæ semper auxerunt Turcæ ditionem, & reformationem Ecclesiæ remorata sunt, magno nominis Christiani dehonestamento. Forsan hoc scriptum est emblema quum armis funestis & exitialibus inter se certarent Franciscus primus Galliarum Rex, & Carolus quintus Imperator. Similis est fabella apud Æsopum de leone, urso, & vulpe.

Malè parta malè dilabuntur. XIII.

Milvus edax, nimiæ quem nausea torserat escæ,
Hei mihi mater, ait, viscera ab ore fluunt.
Illa autem, quid fles? cur hæc tua viscera credas,
Qui rapto vivens sola aliena vomis?

COMMENTARIA.

Dives, aut iniquus, aut iniqui hæres, dictũ olim. Nec de rebus malè quæsitis gaudet unquam tertius hæres. Videmus quotidie opes iniquè partas, pejus dilabi. Estq; hoc emblema etiam ex Æsopo desumptum. Qui auidè & sine modo substantiam proximorum vo-

rarunt, non mirari debent. si iustitia diuina illos non solùm malè quæsitis, sed etiam propriis facultatibus spoliet, idq; tam citò, vt prouideri non potuerit.

Scyphus Nestoris. XIIII.

Nestoreum geminis cratera hunc accipe fundis,
Quod grauis argenti massa profundit opus.
Clauiculi ex auro: stant circum quattuor ansæ:
Vnamquamq; super fulua columba sedet.
Solus eum potuit longæuus tollere Nestor.
Mæonidæ doceas quid sibi musa velit.
Est cælum scyphus ipse: colorq; argenteus illi est:
Aurea sunt cæli sidera clauiculi.
Pleiadas esse putant, quas dixerit ille columbas.
Vmbilici gemini, magna minorq; fera est.
Hæc Nestor longo sapiens intelligit vsu.
Bella gerunt fortes, callidus astra tenet.

COMMENTARIA.

Hoc emblema docet multo pluris esse faciendos doctos, & cælestia calentes, quàm strenuos & bellicosos. De hoc poculo multa Homerus, Athenæus, & alij.

Senex puellam amans. XV.

Dum Sophocles quamuis affecta ætate, puellam
A quæstu Archippen ad sua vota trahit,
Allicit & pretio, tulit ægrè insana iuuentus.

Ob Zelum, & tali carmine vtrumque notat:
Noctua vt in tumuli, super vtq; cadauera bubo,
Talis apud Sophoclem nostra puella sedet.

COMMENTARIA.

Turpe senex miles turpe senilis amor, inquit Ouidius. Ludimagister quidam, pius vir & apprimè doctus, ludens, sæpe suis discipulis hoc barbarum & dilingue distichum inculcabat, *Dico tibi verbum, Deus odit poure superbum, Peresseux iuuenem luxuriesq; senem*. Deflendum est, si quis in ætate decrepita repuerascere velit, & flammas illas venereas suis medullis denuo inserere. Sobrij, & qui desidiam fugiunt, in hæc retia non incidunt. Sed ij qui otio & ventri indulgent. Tritum est noctuas & bubones vt plurimum circa sepulchra & polyandria videri. Nihil est quod mortem magis acceleret, quàm ea velle patrare quibus vires nostræ impares sint.

Cauendum à meretricibus. XVI.

Sole satæ Circes tam magna potentia fertur,
Verterit vt multos in noua monstra viros.
Testis equûm domitor Picus, tum Scylla biformis,
Atque Ithaci postquam vina bibere sues,
Indicat illustri meretricem nomine Circe,
Et rationem animi perdere, quisquis amat.

COM-



COMMENTARIA.

Circes fabula ex Homero, Ouidio, Erasmo & aliis nota est. Palladas in anthologia alio sensum ipsius detorquet. ait enim Circen virga sua homines in sues & alia animalia non mutasse. sed amasios suos ad eam pauperiem redegisse, vt coacti tandem fuerint praedatores, viarum obsessores, & homicidae fieri, si vellent miseram vitam sustinere. De Scylla & Pico consule metamorphosin Ouidij.

Strenuorum immortale nomen. XVII.

Aeacidae tumulum Rhoeteo in littore cernis,

Quem plerumque pedes visitat alba Thetis.
Obtegitur semper viridi lapis hic amaranthο,
Quòd nunquam herois sit moriturus honos.
Hic gratûm taurus, magni nex Hectoris, haud plus
Debet Mæonidæ, quàm sibi Mæodines.

COMMENTARIA.

Lemma huiusce emblematis pro commentario est. Cæterùm Rhœteum promontorium & oppidum Troadis, Ajacis sepulchro nobilitatur, vt Sigæum Achillis. Amaranthus dicitur à μαραίνομαι & α priuata particula, quòd non marcescat. Ideo eo ornabantur heroum sepulchra. Thetis semper in aquis degens, dicitur à Poëtis albissimos pedes habere, immo & alba cognominatur.

Concordia insuperabilis. XVIII.

Tergeminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta semel pietas mutua, & vnus amor:
Inuicti humanis vt viribus ampla tenerent
Regna, vno dicti nomine Geryonis.

COMMENTARIA.

Plinius refert lapides quosdam insulæ Cycladicæ, dum sunt integri, natare in aqua: si verò frangantur, in fundum delabi. Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Scilurus Scytha moribundus telorum

rum fasciculo colligato, & postea soluto, concordiam filios docuit.

Cuculi. XIX.

Ruricolas agreste genus pleriq; cucullos
Cur vocitent, quænam prodita caussa fuit?
Vere nouo cantat Coccyx quo tempore vites
Qui non absoluit, iure notatur iners.
Fert oua in nidos alienos, qualiter ille
Cui thalamum prodit vxor adulteria.

COMMENTARIA.

Alciatus ipsemet explicat hoc emblema li. 7. Parerg. Iuris, cap. 5. Cuculum vocant, homines virum qui matrimonij sui incuriosus sit, quiq; vxorem suam mœchis permittat. Cuculi peculiari conuicio dicuntur agricolæ negligentes, socordes, ac tardi quibus scilicet vineę nunquam putantur, antequam cuculi cantus audiatur.

Nobiles & generosi. XX.

Aurea Cecropias nectebat fibula vestes,
Cui coniuncta tenax dente cicada fuit:
Calceus Arcadico suberat cui lunula ritu,
Gestatur patribus mullea Romulidis.
Indigenas quòd se adsererent hæc signa tulerunt
Antiqua illustres nobilitate viri.

Animus generosus, vera nobilitas. Nobilitas pecudum in corpore vegeto ac valido, hominum verò in morum bonitate : sicq; soli nobiles qui ad virtutem propensi. Sunt qui sic distinguant nobilem à generoso, vt dicant eum nobilem qui à nobilibus ortus est, generosum verò qui è natura sua non degenerat. Cicada vbi nascitur, illic viuit & vitam finit. Ideo Athenienses eam crinibus suis innodabant, & fibulis suis annectebant, quòd se indigenas dicerent, plurisq; Athenas facerent, quàm vllam aliam orbis partem. Romani lunulas in calceis habebant, nobilitatis insigne.

Ignaui. XXI.

Maui ardeolam stellarem effingere serui
Et studia, & mores, fabula prisca fuit,
Quæ famulum Asteriam volucris sumpsisse figuram
Est commenta: fides sit penes historicos.
Degener hic veluti qui cæuet in aëre falco est
Dictus ab antiquis vatibus ardelio.

COMMENTARIA.

Nusquam est qui vbique est. Hoc emblema in ardeliones scriptum est, qui quum nullam artem apprimè calleant, omnium tamen peritissimos se credi volunt. Benè Hippocrates,

es βίος βραχὺς τέχνη δ' μακρὰ Pene item item Pibracius, qui consulit vt vnicā artem perfe-ctè addiscamus. Ardeola auis pigra & iners, quæ ob id à aufsnisé... dicitur. Ejus tria genera. Falcones degeneres tempus terunt in tibiarum & alarum motitatione, quum po-tiùs deberẽt summa alacritate & impetu præ-dam persequi.

Facundia difficilis. XXII.

Au idotum Ææ n e ... a ... Circes
Mercurium hec Ithaco tam a ... it.
Moly vocant. id vix radice eu. llitur atra,
Purpureus sed fl s actis & instar habet.
El. quij candor, fa. undiaq; alicit omnes,
Sed multi res est tanta laboris opus.

COMMENTARIA.

Eloquentia omnium difficillimã, juxta Ciceronem: ad eam enim parandam pulcher-rimarum rerum scientia est necessaria. Moly herba inuentu difficillima, & quæ vix à terra euellitur. Flos ipsius bellus & gratus. Ita elo-quentia multis laboribus & sudoribus parta, fructus tandem iucundissimos & suauissimos affert.

Insani gladius. XXIII.

Soligerit medium stabat gregis ... Aiax,

Cæde ſuum credens cædere Tantalidas.
Hoſtia ſic tanquam ſus ſuccedanea pœnas
Pro Laërtiade, pro caueaq́; dabat.
Neſcit obeſſe ſuis furor hoſtibus, errat ab ictu,
Conſiliję́; impos in ſua damna ruit.



COMMENTARIA.

Semper nobis cauendum eſt, ne iræ locum demus, ab eaq́; ſuperari nos ſinamus. Fit enim tandem furor, qui vbi cordibus noſtris inſederit, mentem expellit, quæ ſemel expulſa vix ac ne vix quidem redit. Ajax victus immeritò in lite armorum Achillis, furore percitus, ſues proprios mactat, credens ſe Agamemnonem, Vlyſſem, & reliquos Græcos cædere.

Bonis auspicijs incipiendum. XXIIII.

Auspicijs res cœpta malis, bene cedere nescit.
Felici quæ sunt omine facta, iuuant.
Quicquid agis, mustela tibi si occurat, omitte:
Signa mala hæc sortis bestia praua gerit.

COMMENTARIA.

Dimidium facti qui bene cœpit habet. Bene incipiendum, bene pergendum, quousque ad bonum finem appulerimus. Qui secus faciunt, vix vnquam voti compotes fiunt. Exempla eorum qui auspiciis omnibusque neglectis in varia pericula inciderunt, habes apud Valerium Maximum: Mustela, lepus, & pleraque alia animalia, semper mali ominis habita sunt.

XII. certamina Herculis ἀλληγορικῶς. XXV.

Roboris inuicti superat facundia laudes:
Dicta Sophistarum, laqueosq; resoluit inanes:
Non furor, aut rabies virtute potentior vlla est.
Continuum obcursum sapienti opulentia cedit:
Spernit auaritiam, nec rapto aut fœnore gaudet:
Vincit fœmineos spoliorq; insignibus astus:
Expurgat sordes, & cultum mentibus addit:
Illicitos odit coitus, abigitq; nocentes:
Barbaries feritasq; dat impia deniq; pœnam:

Vnius virtus collectis dißipat hostes:
Inuehit in patriam externis bona plurima ab oris:
Dictis per ora virum volat, & non interiit vnquã.

COMMENTARIA.

Hercules vir Gallus fuit, qui solerti prudentia, & eloquentia admirabili prædicus, præclara facinora insigni fortitudine exantlauit, & ingenij dexteritate summas quasque difficultates superauit. Antiqui autem fabulatores viribus corporis tribuerunt, quod insignis prudentiæ Herculis proprium erat. Verùm audiamus Heraclidem Ponticũ qui vice commentarij nobis erit ad hoc Alciati emblema explicandum. Minimè putandum est, Herculem corporis viribus olim tantum præstare potuisse: at quum prudens esset, & cælesti sapientia plenus, ceu profunda caligine demersam Philosophiam illustrauit: quæ sententia etiam Principum Stoicorum est. De aliis itaque certaminibus Herculis, quæ ab Homero non memorantur, quid attinet ad ingenij ostentationem multa præter rem verba facere? Aprum enim cepit, hoc est, versantem inter homines intemperantiam: & leonem domuit, nempe impetum temerè ruentem quò minimè decet. Eadem ratione quum brutam iracundiam compescuisset atque frænasset, taurum cornupetam dictus est adduxisse.

xisse. Expulit etiam & propulsauit è vita metum, quod per Cerauniam ceruam ostenditur. Et quoddam etiam certamé, quod nominare non conuenit, idem subijt, repurgata, qua prius tenebatur, animi fœditate. Cohibuit & volucres, nempe spem inanem & ventosam, qua hominum vita vt plurimum lactatur. Adhæc plurimum fimi expulit, & multis capitibus hydram superauit, quæ abscissa renasci non desinebat. Hanc sicuti ἀίδρειαν, id est imperitiam aliquam, igni excidit, hoc est, admonitione. Iam vt ò Cerberus triceps in lucem pertractus, non male triplicem philosophandi rationem innuit. Sunt enim tres Philosophiæ partes, ea quæ rationis est, Logica: quæ naturæ, Physiologia quæ morum, Ethica nominatur: & eæ quidem tanquam ex vna ceruice prognatæ, triplici etiam modo juxta caput distribuuntur. Et hæc quidem de aliis laboribus dicta sufficiant. Hactenus Heraclides.

In nothos. XXVI.

Herculeos spurij semper coluere honores:
Nam veri princeps ordinis ille fuit
Nec priùs esse deus potuit, quàm sugeret infans
Lac, sibi quod, fraudis nescia, Iuno dabat.

COMMENTARIA.

Hujus emblematis ipsemet Alciatus com

mentator est cap.3.li. 4. Parergôn juris. Apud Græcos, inquit, scriptum legi Iouem, nato Hercule, quòd spurius esset, nec in Deorum numerum posset admitti, dormienti coniugi suæ Iunoni eum clàm supposuisse, & exucto de mammis ab ea lacte, infantem ceu natalibus restitutum, diuinitatis jura acquisiuisse. Cujus rei & Higinus meminit, & Arati interpres, & qui Collectanea rei rusticæ Constantino Cæsari inscripsit. Hincq; factum est, vt nothi ad Cynosarges, vbi templum est Herculis, exercerentur, quoniam is Deus illis præest.

Sapientia humana, stultitia est apud Deum. XXVII.

Quid dicam? quoniam hic compellē nomine monstrum
Biforme, quod non est homo, nec est draco?
Sed sine vir pedibus, summis fine partibus anguis:
Vir anguipes dici, & homiceps anguis potest.
Anguem pedit homo, hominem, eructauit & anguis,
Nec finis hominis est, initium nec est feræ,
Sic olim Cecrops doctis regnauit Athenis,
Sic & gigantes terra mater protulit.
Hæc vafrum species, sed relligione carentem,
Terra tantùm quidq; curet, indicat.

COMMENTARIA.

Crederem Alciatum quendam sui tempo-

is voluisse στιγματίζειν hoc emblemate, quod
alioqui subobscurum videtur. Hoc informi
monstro, quod nec omnino formam huma-
nam, nec omnino serpentinam figuram ha-
beat, natura quidem duplici, quodq; necdum
certam appellatione sortiri posset. j notātur,
qui anima rationis participe à D[illegible] formati, terrena tantùm sap unt: & neglecta condi-
tione sui meliore humi repunt, in naturamq;
belluinam degenerant. hoc enim monstrum
a hominem non definit, nec est feræ princi-
pium. Finem enim non spectant Epicurei ho-
mines, propter quem homini sit concessa ra-
tio, qua miserè abutuntur, eamq; spontanea
[illegible] & exitiosa ration[illegible] Cecrops,
primus Atheniensium rex A[illegible] ar-
tem extraxit & primus conj[illegible] In-
de forsan διφυὴς dictus quasi natus e duplicis,
quia per connubium duas species in vnam
deba[illegible] conjungere. M[illegible] ita voca-
tum fuisse mauult, quòd superstitionem &
idolomaniam primus induxerit.

In detractores. XXVIII.

[illegible] flagriferi m[illegible] stupidiq; magistri
Bilem in me impuri pectoris euomere:
Quid fa[illegible]? [illegible] cicadam
Ala [illegible] corrip[illegible] ferar?
Quid prodest muscas operosis pelle[illegible]?

Negligere est satius, perdere quod nequeas.

COMMENTARIA.

Hoc emblema sibi quidem scripsit Alciatus, at Minos ferè idem affert nomine Zazij, Badęj, Alciati, & aliorũ, in quendam nominis Franciscum Floridum, quem, detractis prioribus litteris, & liquida immutata, Rancifcum Olidum appellat. Sed satius erit integrum emblema apponere.

Audent flagriferi matulæ, stupidiq; magistri
Bilem in nos olidi pectoris euomere.
Reddemusne vicem opprobrijs: sed rónne cicadam
Ala vna obstrepteram corripere istud erit?
Quid prodest muscas operosis pellere flagris?
Negligere est satius quod nequeas regere.

Cicadam si ala corripias, clariùs obstrepet: ita si maledico responderis, non modò non tacebit, sed & importuniùs effutiet, & omnem bilem euomet. Musca, importunum animal, vix ac ne vix quidem vnquã expellitur. Dedecet doctum virum cum imperitis concertare.

Imparilitas. XXI3

Vt sublime volans tenuem secat aëra falco,
Vt pascuntur humi graculus, anser, anas:
Sic summum scandit super æthera Pindarus ingens,
Sic scit humi tantùm serpere Bacchylides.

COMMENTARIA.

Inæqualitas ferè semper in ingeniis: alij, vt falco & aquila, altè volant: alij verò, vt graculus, anser, anas, humi serpunt. Idem ferè legitur apud Pindarum duobus in locis.

Amuletum Veneris. XXX

Inguina dente fero suffossum Cypris Adonin
Lactucæ foliis condidit exanimem.
Hinc genitali aruo tantum lactuca resistit:
Quantum eruca salax vix stimulare potest.

COMMENTARIA.

Lactuca frigida est, ob idq; nimica Veneri. Eruca verò calida & venerem stimulans. ideo dicitur Venus Adonidem, ab apro interemptum, lactucis operuisse.

Cupressus. XXXI.

Indicat effigies metæ, nemorq; cupressi
Tractandos parili conditione suos.

ALIVD.

Funesta est arbor: procerum monumenta cupressus,
Quale apium plebis, comere fronde soles.

ALIVD.

Pulchra coma est, pulchro digestæq; ordine frondes,
Sed fructus nullos hæc coma pulchra geris.

COMMENTARIA.

Æqualitas vbique laudanda, sed præcipuè

in administratione reipublicæ: nihil est enim quod ita animos subjectorum à magistratu, filiorũ à parẽtibus alienet, quàm imparilitas, tum in præmiis, tum in pœnis. Cupressus autem ab radice ad summitatem recto stipite consurgit, suaq; brachia omnia pari æqualitate in coni figuram ad fastigium protendit. Funestam vocat hanc arborem, quia ea sepulcris magnatum imponitur, quòd numquam marcescat: opera etiam è cupressu ab artificibus elaborata, cariem nunquam sentiant. Vt cupressus magnatum, sic apium plebis monumentis imponebatur. Cupressus semel excisa nunquam renascitur. Ita postquam mors nos prostrauit, in æternum hac terrestri vita priuamur. Tertium distichon eis adaptatur, qui quum corpore, ingenio, fortunis valent, nullus tamen inde aut ad rempublicam, aut ad priuatos, fructus redit.

Quercus. XXXII.

Grata Ioui est quercus, qui nos seruatq; fouetq;:
Seruanti ciuem querna corona datur.

ALIVD.

Glande aluit veteres, sola nunc proficit vmbra,
Sic quoq; sic arbos officiosa Iouis.

COMMENTARIA.

Ex se patent hæc duo disticha. De variis cor-

coronis multi multa. Hujus arboris & fructus,& vmbra, & lignum ipsum hominibus conferunt.

Laurus. XXXIII

Præscia venturi laurus fert signa salutis,
Subdita puluillo somnia vera facit.

ALIVD.

Debetur Carlo superatis laurea Pœnis,
Victrices ornent talia serta comas.

COMMENTARIA.

Laurus, vaticinij symbolum, ideo q; Apollini, vaticinationis Deo, sacra. si in ignem iniecta crepuerit, felicitas protenditur: si tacita conflagrarit, pro inauspicato habetur. Amantes ea vtebantur in suis querimoniis. Alterum distichon in gratiam Caroli quinti scriptum est, qui Thunem expugnauit à Barbarossa possessam.

Abies. XXXIIII.

Apta fretis abies in montibus editur altis:
Est & in aduersis maxima commoditas.

COMMENTARIA.

Dictum hoc emblema in eos, qui vt ampliorem mercedem consequantur, pericula non refugiunt. Hæc arbor humano generi

vtilissima est. Ex ea & naues & ædificia vt plurimùm construuntur, sed præcipuè contignationes, idq; commodiùs, quàm ex vlla alia materia.

Picea. XXXV.

At picea emittat nullos quòd stirpe stolones,
Illius est index, qui sine prole perit.

COMMENTARIA.

Nascitur indignè, per quem non nascitur alter, inquit Palingenius. Viri sine prole viuentis symbolum est picea, quæ nullos stolones emittit.

Cotonea. XXXVI.

Poma nouis tribui debere cydonia nuptis
Dicitur antiquus constituisse Solon.
Grata ori & stomacho quum sint, & halitus illis
Sit suauis, blandus manet & ore lepos.

COMMENTARIA.

Conjuges omnia sua dicta & facta debent ita condire, vt nulla inter eos vnquam simultas emergat. Ideoq; Solon jubebat sponsam cum sponso concubituram, malum cotoneum edere, quia prima gratia, quæ voce & ore initur, concinna debet esse & suauis.

Ilex.

Ilex. XXXVII.

Duritie nimia quòd sese rumperet ilex,
Symbola ciuilis seditionis habet.

COMMENTARIA.

Pericles Bœotios ilicibus esse similes dicebat: vt enim ilices sese vicissim frangunt, ita Bœotios inter se prœliari. Quòd de Bœotijs dixit, idem dici potest de quibus vis seditiosis duræq; ceruicis hominibus, quos citiùs frangas, quàm flectas aut corrigas.

Hedera. XXXVIII.

Haudquaquam arescens hedera est arbuscula, Cisso
Quæ puero Bacchum dona dedisse ferunt:
Errabunda, procax, auratis fulua corymbis,
Exteriùs viridis, cætera pallor habet,
Hinc apiis vates cingunt sua tempora sertis:
Pallescunt studijs, laus diuturna viret.

COMMENTARIA.

Cissus adolescens, Liberi patris histrio & saltator, in quendam terræ hiatum casu lapsus interiit. Tellus autem, quum Baccho gratificari vellet, florem produxit adolescēti cognominē. Hedera, vt & laurus, poëtis tribuitur, quia litterarum cultus assiduus, pallorem & maciem conciliat, tandemq;, vbi litteris insudarint, fama illorum viret ac nobilitatur.

Pallet autem hedera ab vna parte, ab altera virescit. Per lautum autem poëtis attributã acumen ingenij & alia naturę bona designabant antiqui: per hederam verò laborem assiduum & indefessum, quo artes & industria parantur.

Buxus. XXXIX.

Perpetuò viridis, crispóq; cacumine buxus,
Vnde est disparilibus fistula facta modis,
Deliciis apta est teneris, & amantibus arbor.
Pallor inest illi pallet & omnis amans.

COMMENTARIA.

Symbolum amoris dicitur esse buxus, quia viret quidem, sed virore pallido: ita amatores semper sperant, sed spes illorum cum formidine coniuncta est. Aptissimum est lignum hoc ad fistulas omnis generis formandas, quarum harmoniâ amantes oblectantur.

Malus medica. XL.

Aurea sunt Veneris poma hæc, iucundus amaror
Indicat, est Græcis sic glycypicros amor.

COMMENTARIA.

Medica malus dici potest etiam amoris nota. Est enim coloris aurei: dulcis quidem & austeri saporis habet nonnihil, sed amarus est cortex: ita turpis voluptas primo blan-

diens aspectu, tota videtur aurea, sed vbi gustu dulce dedit, amarum ad satietatem vsque aggerit. Inde κλυκύπικρος ab Alciato dicitur hic fructus. Amorem Plato rem amaram vocat.

Populus alba. XLI.

Herculeos crines bicolor quòd populus ornet,
Temporis alternas nóxque diésque vices.

COMMENTARIA.

Populus alba Herculi sacra est. Quum sit folio tremulo, supernè candicanti, & inferiori parte viridi, temporis motum continuum in diem clarum & obscuram noctem distributum repræsentat: Quod non latuit Pierium, qui tempus hac arbore significari ait, bicoloribus foliis diem ac noctem referentibus. Sed & hoc habet cum tempore commune populus alba, quòd ipsius folia post solstitium circumaguntur, nec vllo argumento certiùs intelligitur solem ab vno signo ad alterum transire. Fertur Herculem, quum ad inferos descenderet, coronam populeam gestasse, eámque partem quæ foris esset, fuligine tetri chaûs obscuratam: quæ verò condebatur interiùs, sudore ablutam candidiorem euasisse.

Salix. XLII.

Quòd frugi perdam salicem vocitarit Homerus,
Clitorijs homines moribus adsimilat.

COMMENTARIA.

Plinius narrat salicem ocyssimè fructum perdere, antequam maturescat. Salicis fructus cum vino propinatus, sterilitatem infert, genitale semen extinguit, ac libidinis impetum retundit. Estq; hęc arbos hydropotarum symbolum. Clitorius lacus in Arcadia, cujus aquam qui gustant, vinum aspernantur. Hydropotæ autem non magni fiunt. Inde prouerbium, Aquam bibens nihil boni paries.

Amygdalus. XLIII.

Cur properans folijs præmittis amygdale flores?
Odi pupillos præcocis ingenij.

COMMENTARIA.

Amygdalus itidem nobis sit pro typo præcocium ingeniorum. Flores emittit ante folia. Sed vbi frigus, vel alia aëris intemperies superuenerit, flores decidunt, & nullus inde fructus speratur. Ita præcocia ingenia magna quidem de se pollicentur, memoria & acumine ingenij valent: sed vbi ad maturiorem ætatem peruenerint, aut mente cadunt, aut planè destituuntur maximis illis donis quibus

bus ipſorum pueritia & adoleſcentia ornata erat.

Morus. XLIIII.


Serior at Morus nunquam niſi frigore lapſo
Germinat, & ſapiens nomina falſa gerit.

COMMENTARIA.

Morum à mora, id eſt tarditate, quidam dictam volũt. Sunt qui eam quaſi μαῦρον dictam volunt, quòd nigra ſit. Sunt & qui eam per antiphraſin μῶρον appellent, quaſi ſtultam, quum præ cæteris prudentiſſima ſit. De ea ſic Plinius lib. 16. cap. 25 Nouiſſima, inquit, vrbanarum germinat, nec niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum: ſed quum cœpit, in tantum vniuerſa germinatio erumpit, vt vna nocte peragat etiam cum ſtrepitu. Prudentiæ gerit ſymbolum morum, ait Pierius: quòd, ne aëris iniuria lædatur, tempeſtiuam & commodam occaſionem præſtolari videatur. Ita vir prudens grauiora negotia, & conſilia omnia conſultò prorogat, neque ante tempus ſeſe effert, ſed maturam occaſionem citra noxam & periculum expectat.

Litera occidit, ſpiritus viuificat. XLV.

Vipereos Cadmus dentes vt credidit aruis,
Seuit & Aonio semina dira solo,
Terrigenum clypeata cohors exorta virorum est,
Hostili inter se qui cecidere manu.
Euasere quibus monitu Tritonidos armis
Abiectis data pax, dextraq; iuncta fuis.
Primus Agenorides elementa notasq; magistris
Tradidit, ijs suauem iunxit & harmoniam.
Quorum discipulos contraria plurima vexant,
Non nisi Palladia quæ dirimuntur ope.



COMMENTARIA.

Cadmi fabulam fusè narrat Ouidius 3. Metamorph. Adfabulationem videamus. Cadmus Agenoris filius, industrius ac ingeniosus artifex, litteras Græcis primus tradidit.

Qu d

Quod omnino vel de sermone litteratū monumentis comprehenso, vel de contentionibus hominum litteratorum est accipiendum. Per draconem sapientiam intelligimus & disciplinarum circulum litteratorū contentum monumentis. Sati draconis dentes fuere: Sermo à serendis verbis dicitur. Physici sedecim dentes draconi esse afferunt: Sedecim etiam sunt consonantes, quæ nihil per se possunt, immò pereunt, seq; mutuò tollunt, si aliena ope destituantur. Verum si vocales jūgas, quę illis pro spiritu sunt, tunc verba formantur, quę apte juncta sermonem & orationem constituunt. Hę quinque vocales, sunt milites illi qui vivi remansere Palladis suasu. Verùm hæ armatorum copiæ à draconis dentibus ortæ, designant studiosorum quorūdam rixas contentione, & λογομαχίας, qui aliorū laboribus inuidentes sese mutuo perimunt. Hanc fabulam detorsit in typographos Barthol. Anulus Gymnasiarcha Lugdunensis.

Salus publica. XLVI.

Phœbigena erectus Epidaurius insidet aris,
Mitis & immani conditur angue Deus.
Accurrunt ægri, veniáq; salutifer orant:
Annuit, atq; ratas efficis ille preces.

COMMENTARIA.

Hanc historiam, seu potiùs fabulam, plenè



habes apud Valer. Maximum, Plinium, Diuum Augustinum, Lactantium. Affabulationem autem hanc non inconcinnè affert Claudius Minos. Hoc serpentis inuolucro nihil aliud verius & expressius intelligi datur, quàm seruator noster Christus, verus animarum nostrarum Æsculapius, & salutis humanæ vindex qui sub serpentis figura in deserto à Mose legislatore appensus, omnes omnium morbos & vulnera sanitati restituit, & in cruce tandem omnes noxas & crimina expiauit.

Respublica liberata. XLVII.

Cæsaris exitio cen libertate recepta,

Hæc ducibus Brutis cusa moneta fuit,
Ensiculi in primis, queis pileus insuper adstat,
Qualem missa manu seruitia accipiunt.

COMMENTARIA.

Brutus & Cassius, occiso C. Cæsare, qui perpetuam dictaturam vsurpauerat, numisma curauerunt cudi, in quo ensiculi, siue pugiones, & pileus, insculpti erant. Per pugiones tyranni cædem indicabant, per pileum libertatem: pileus enim libertatis insigne: quod manifeste in morte Neronis apparuit. nam pleraque omnis plebs in cunctis prouinciis pileum assumpsit, tanquam sæuo exempta dominio.

Aduersus naturam peccantes. XLVIII.

Turpe quidem factu, sed & est res improba dictu,
Excipiat si quis chœnice ventris onus.
Mensuram, legisq; modum hoc excedere sanctæ est,
Quale sit incesto pollui adulterio.

COMMENTARIA.

Obscœnum est hoc emblema. Obscœna autem quo plus moueas, eo fœdiora reddas. Intactum ergo lubens relinquo.

Furor, & rabies. XLIX.

Ora geris clypeus rabiosi picta leonis,

Et scriptum in summo margine carmen habet:
Hic hominum est terror, cuius possessor Atrida:
Talia magnanimus signa Agamemno tulit,

COMMENTARIA.

Insignia veterum dynastarum nullam præ se ferebant atrocitatem seu ferociam: sed expeditio Gotofredi Bullionei in terrã sanctã stemmata regum & principũ aquilis, gryphis, leonibus & id genus animalibus insigniuit. Galliæ rex, fere solus inter tot heroas, lilia sua nõ immutauit. Verùm, proh dolor, & jamdudum, & hodie plerique immanitatem & ferociam ferarum in suis armis depictarum reipsa & factis suis ostendunt. Pauci, immò forsan nullus, Aristidis cognomento indigetari voluit. Agamemnonis clypeus per aliquot tempora pependit in Olympiæ fano.

Nupta contagioso. L.

Dij meliora pijs: Mezenti ut inique sic me
Compellas? cum, tu quod tibi dote gener,
Gallica quem scabies, dira & mentagra perurit,
Hoc est quidnam aliud ni mihi, sæue pater,
Corpora corporibus quidam iungere mortua viuis,
Efferaq; Etrusci facta nouare ducis?

COMMENTARIA.

Nota est diritas Mezentij ex 8. Æneid

Mortua

-- Mortua iung bat qui corpora viuis,
Componens manibusq; manus, atq; oribus ora.

Deflet hîc Alciatus sortem ingenuę cujusdam puellæ, quam inuitam pater vxorem dabat viro cuidam turpiter inquinato & miserè ... etenti. Non absimile est quod habetur in ... rasmi dialogo. ἄγαμος γάμος.

Consiliarij Principum. LI.

Heroum genitos, & magnum fertur Achillem
In stabulis Chiron erudijsse suis.
Semiferum doctorem, & semiuirum centaurum,
Assideat quisquis regibus, esse decet.
Est fera, dum violat socios, dum proterit hostes:
Estq; homo, dum simulat se populo esse pium.

COMMENTARIA.

Chiron, ipsiusq; discipuli & sequaces, qui ... principibus & regibus inseruiunt, præse ferũt ... uidem humanitatis, justitiæ ac pietatis imaginem erga populum, verùm vt plurimum ferina & belluina natura præditi sunt, nũc vulpinam, nunc leoninam pellem amicientes, ... rout ipsis vsu venit. De Centauris autem ... a ia apud varios auctores. Qui primi equos domarunt, illosq; docuerunt dominis suis obsequi, quum primùm aliis hominibus apparuerunt, biformes crediti sunt, superiore parte homines, inferiore equi.

Νῆφε, καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Ne credas, ne, Epicharmus ait, non sobrius esto.
Hi nerui, humanæ membráq; mentis erunt.
Ecce oculata manus credens id quod videt, ecce
Pulegium antiquæ sobrietatis olus,
Quo turbam ostenso sedauerit Heraclytus.
Mulxerit & tumida seditione grauem.

COMMENTARIA.

Duo hîc præcipit Alciatus, vt scilicet so-
brij simus & leuem credulitatem vitemus. A
id duobus symbolis vtitur, pulegio scilicet
oculata manu. Epicharmus philosophus S
culus fuit & poëta, Comœdiæ inuentor. Pr
mus versus duas negationes habet, quæ fui
vice affirmatiuę. Heraclitus Philosophus fui
de quo suprà. Hunc refert Plutarchus in s
ditione quandam rogatum à ciuibus, vt con
cordiam suaderet, suggestum ascendisse, cal
cem frigida compleuisse, infusam digito far
nam miscuisse vnà cum pulegio, idq; bibiss
& hinc discessisse: nimirum re ipsa loquen
plerumque seditiones ex luxu rerumq; su
perfluarum vsu oriri: inter eos autem facil
constare concordiam, qui modicis ac tantùm
necessariis contenti essent.

Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι
δέον οὐκ ἐτελέσθη; LIII.

Italicæ Samius sectæ celeberrimus auctor
Ipse suum clausit carmine dogma breui.
Quo prætergressus? quid agis? quid omissum agendum?
Hanc rationem vrgens reddere quemque sibi.
Quod didicisse gruum volitantum ex agmine fertur,
Arreptum gestant quæ pedibus lapidem,
Ne cessent, neu transuersas venti flamina rapiant.
Quæ ratione hominum vita regenda fuit.

COMMENTARIA.

Pythagoras Samius fuit auctorq; Italicæ sectæ. Tertius Emblematis versus est interpretatio inscriptionis seu lemmatis. Examen istud quotidianarum nostrarum actionum si ab vno quoque nostrûm fieret, dici non potest quantum humanæ societati conferret. Apte Gruum exemplum affert Poëta. Addam & Gymnosophistarum quod ex Apuleio citat Minos. Vbi, ait, mensa posita, priusquam edulia apponantur, omnes adolescentes ex diuersis locis & officiis ad dapem conueniunt. Magistri interrogant, quod factum à lucis ortu ad illud diei bonum fecerint. Hic alius se commemorat inter duos arbitrum electum sanata simultate, reconciliata gratia, purgata suspicione, amicos ex infensis

reddidiffe. Item alius, fefe parentibus quidpiam imperantibus obediffe, & alius aliquid meditatione sua reperiffe, vel alterius demōstratione didiciffe. Deniq; cęteri aliquid aliud commemorant. Qui nihil habet ad offerre cur prādeat, impranfus ad opus foras extruditur. Hucufq; Apul. Grues triplici de caufa lapidē geftāt, quorum prima huic emblemati peculiaris eft. Reliquæ non: quas tamen hîc in ftudioforum gratiam affero. Dum nocte obfcura coguntur arbori infidere vt quiefcant, nōnullas fpeculatrices habent, quæ alternatim vigilant pro toto exercitu: arborem autem eligunt, quæ lapidibus cincta fit. Speculatrices illę lapidē vnguibus tenent, vt fi forte aquilę, vel alia animalia gruibus infenfa, fuperuenient, ex lapfu & illifu lapidis illius in ftruem lapidum infernam, totus grex expergifcatur & fibi prouideat. Accidit etiam aliquando vt fpeculatrices illæ fomno victæ, lapidem fuum delabi finant, tuncque fpeculatrices vigilantiores prioribus fubftituuntur. Tertia caufa lapidum geftationis hæc eft, quam etiam affert Minos. Linquentes orientem grues ob calidiorem plagam q; petentes occiduam, quum montem Taurum penetrare cœperint aquilis abundantem, timentes fortiffimas volucres, roftra lapidis occludunt, ne eis eliciat vel neceffitas extrema clangorem. ijsq; collā-
bus

us agiliore volatu transcursis proiiciũt calculos, atque ita securiùs pergunt. Vt accenatur juuentus ad hoc adeò vtile quotidiarum actionum examen faciendum, legat Senecam 3. de ira, cap. 36.

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου. LIIII.

Et toleranda homini tristis fortuna ferendo est,
Et nimium felix sæpe timenda fuit.
Sustine, Epictetus dicebat & abstine. oportet
Multa pati, illicitis abs'q; tenere manus.
Sic duris imperium vinctus fert poplite taurus
In dextro sic se continet à grauidis.

COMMENTARIA.

Epictetus duobus hisce verbis, quę pro lemmate sunt huic emblemati, totã bene viuendi rationem comprehendit. Primo ad patientiam hortatur, qua fultus quisque possit aduersos fortunæ casus & laborem æquo animo ferre. Altero verò præcipit à luxu abstinendum, præcipuè venereo. Virtus omnis imbecilla est nisi patientia fulciatur. Virtus omnis interit & suffocatur, vbi semel nos luxui dedimus. Ægyptij, quum indicarent hominem modestum, & qui facilè posset à malefactis auerti, taurum genu dextro ligatum pingebant. Sic enim constrictus, mansuetum se præbet, & vincula consequitur.

In ſordidos. LV.

Quæ roſtro clyſtere velut ſibi proluit aluum
Ibis, Niliacis cognita litoribus,
Tranſiit opprobrij in nomen, quo Publius hoſtem
Naſo ſuum appellat, Battiadesq́ ſuum.

COMMENTARIA.

Ibis creditur clyſterum vſum homines docuiſſe. Hæc ſiquidem, adunco ſuo roſtro in aluum immiſſo, ſe purgat. Ideo ſpurca & putida habetur. Frequens apparet iuxta Nilum. Quòd ita ſòrdida ſit, id occaſionem dedit Ouidio, vt in maleuolum & calumniatorem ſuum inuehens, eum Ibin nominarit. Ante Ouidium Callimachus eodem nomine indigetauit Apollonium Rhodium, ingratum diſcipulum, ſpurciſſimum & impudētiſſimum, quem diris imprecationibus deuouet. Callimachus autem hic Batti filius fuit, vnde Battiades dictus.

In colores. LVI.

Index mœſtitiæ eſt pullus color, vtimur omnes
Hoc habitu tumulis quum damus inferias:
At ſynceri animi, & mentis ſtola candida puræ,
Hinc ſindon ſacris linea grata viris.
Nos ſperare docet viridis, ſpes dicitur eſſe
In viridi, quoties irrita retro cadit.
Eſt cupidis flauus color, eſt & amantibus aptus,

Et

Et scortis, & queis spes sua certa fuit.
ruber armatos equites exornet amictus,
Indicet & pueros erubuisse pudor.
erulus nautas, & qui cælestia vates
Attoniti nimia religione petunt.
lia sunt gilvis, natiueq; vellera burrhis,
Qualia lignipedes stragula habere solent.
uem curæ ingentes cruciant, vel Zelus amoris,
Creditur hic fulua non malè veste tegi.
uisquis sorte sua contentus, ianthina gestet,
Fortunæ æquanimis tædia quiq; ferat.
t varia est natura coloribus in gignendis,
Sic alijs aliud, sed sua cuiq; placent.

COMMENTARIA.

Colorũ varietates, & quid per vnamquam-
ue designetur, hoc emblemate describit
lciatus. In nonnullis tamen plerique ab eo
issentiunt. Inferiæ, sacrificia fuere, quæ diis
nferis soluebantur. Inferias facere, est mor-
uorum animas sacrificijs placare. Servius
radit, morem fuisse in sepulchris virorum
ortium captiuos necari. Quod quum visum
sset multis crudele, placuit gladiatores ante
epulchra dimicare, qui à bustis bustuarij
icti sunt. Quòd si eorum copia non esset,
œminæ genas suas laniantes, effundebant
anguinem. Vide Gellium lib.19.cap.8. Quod
d pullum colorem attinet, non omnibus id.

in vsu fuit. Tradit enim Plutarchus in Rom. quæstion. mulieres in luctu vestibus albis vsas fuisse. Hæ autem vestes albæ sindones dictæ fuere. Lignipedes, Italis dicuntur Zoccolanti. Hi censentur, inter varias Franciscanorum familias, seueriorẽ vitam agere, quamuis restigeri sint omnes.

Vigilantia, & custodia. LVII.

Instantis quòd signa canens dat gallus eoi,
Et reuocet famulas ad noua pensa manus,
Turribus in sacris effingitur, ærea mentem
Ad superos peluis quòd reuocet vigilem.
Est leo, sed custos oculis quia dormit apertis,
Templorum iccirco ponitur ante fores.

COMMENTARIA.

Boni episcopi designantur duplici symbolo, galli scilicet & leonis. Studet enim bonus episcopus, ne quid suis ouibus desit, néve quis à recta via desciscat, aut sacræ doctrinæ terminos transiliat. Gallus suo cantu spatia diei nos docet, operas ante diem ad opus excitat. Leo vigilat oculis clausis, dormit apertis. Æream peluim vocat tintinnabulum, siue nolam.

Dicta VII. *sapientum.* LVIII.

Hæc habeas, septem sapientum effingere dicta,

Atq;

Atq; ea picturis qui celebrare velis.
Optimus in rebus modus est, Cleobulus vt inquit,
Hoc trutinæ examen sine libella docet.
Noscere se Chilon Spartanus quemq; iubebat,
Hoc speculum in manibus, vitráq; sumpta dabunt.
Quod Periander ait frena adde Corinthius iræ,
Pulegium admotum naribus efficiet.
Pittacus at ne quid dixit nimis: hæc eadem aiunt,
Contracto qui githonem liquefaciunt.
Respex fine Solon finem iubet, vltimus agris
Terminus haud magno cesserit ipse Ioui.
Heu quàm vera Bias est copia magna malorum,
Mesimoni infitias effice sardus eques.
Nec præs esto Thales dixit, sic illita visco
In laqueos sociam parra, meropsq; trahit.

COMMENTARIA.

Septem sapientum dicta, nemini non nota sunt. Sunt qui negant Periandrum Corinthiũ in eis numerandum esse, quia tyrannus hic fuit, auaritia & luxuria infamis. Fuit autem alius Periander Ambraciotes quem nonnulli è septem sapientibus fuisse dicunt. Parra auis inauspicata, quæ & galerita vel alauda. Ea & merops visco captæ, consocias attrahunt. Ita debitores ære alieno irretiti, vt sese explicent, quos possunt fidejussores aucupãtur. Merops, quòd apes comedat, apiastra etiam nominatur.

Terminus. LIX.

Quadratum infoditur firmißima tessera saxum,
Stat cirrata super pectore magno tenus,
Et sese nulli profitetur cedere. talis
Terminus est, homines qui scopus unus agit.
Est immota dies, præfixaq; tempora fatis,
Deq; ferunt primis ultima iudicium.

COMMENTARIA.

Terminum Minos docet symbolũ esse mortis, quæ ineuitabilem habet in res quascunq;, necessitatem: ad quam quum peruenimus, liberè de nobis superstites loquuntur: neque solùm dicta & facta, sed & ipsa cogitata, si fieri potest, lynceis oculis aspiciunt, de iisq; seuerè ac securè dijudicans. Videamus ergo ne quid viuendo sinistri aut absoni, dicamus, agamus, vel cogitemus, si bonam de nobis famam posteris relinquere velimus. Symbolum fuit Erasmi Terminus, quod plerique suggilarunt, inter quos Caruajalus Franciscanus, cui respondit Erasmus, Caruajali calumniam eluens, qui verba seu dictum Termini Erasmo applicabat. Cirrati dicuntur qui capillos habent cirratos: cirrus, instrumentum quo capilli in circum contorquentur.

In dies meliora. LX.

Rostra nouo mihi sestigeri suis obtulit anno,

Hæc

Hæc q; cliens ventri xenia dixit habe.
Progreditur semper, nec retro respicit vnquam,
Gramina quum pando protuit ore vorax.
Cura viris eadem est, ne spes sublapsa retrorsum
Cedat, & vt melius sit, quod & vlterius.

COMMENTARIA.

Docemur hoc emblemate, nunquam nobis ab opere cessandum esse, sed semper vlteriùs progrediēdum. Quum sus siliquas aut alium cibum reperit, numquam retrò respicit, sed assiduè escam vorat. Minos censet, emblema hoc in gratiam Caroli V. Imp. fuisse ab Alciato scriptum, ob extremum vltimi versus vocabulum, VLTERIVS.

Luxuria. LXI.

Eruca capripes redimitus tempora Faunus
Immodicæ Veneris symbola certa refert.
Est eruca salax, indéxq; libidinis hircus,
Et satyri nymphas semper amare solent.

COMMENTARIA.

Erucam herbarij prædicant calidissimam esse, eamq; ob rem luxuriam prouocare. Satyri autem à poëtis salacissimi indigetantur.

Superbia. LXII.

Enflatum flatus, & ductum de marmore marmor

Si conferre deis ausa procax Niobe,
Est vitium muliebre superbia & arguit oris
Duritiem ac sensus qualis inest lapidi.



COMMENTARIA.

Potentiores vt plurimum superbiunt, præcipuè mulieres. Plerique autem superbi non solùm apud alios homines intumescunt, sed eousque vesaniæ procedũt vt & deum ipsum spernant, de eoq; malè sentiant. Non erratur autem periculosiùs neque scelestiùs quàm in numinis contemptu. Niobes historiam (quæ superbiæ verus typus fuit,) habes apud Ouidium 6. Metamorph. Pausaniam in Arcadicis, & Palæphatum lib. 1.

Dissidia.

Desidia. LXIII.

Desidet in medio Essæus, speculatur & astra,
Subtus & accensam contegit igne facem.
Segnities specie recti, velata cucullo,
Non se, non alios utilitate iuuat.

COMMENTARIA.

Iners hominum genus, fruges consumere natum hîc notatur. Indignè viuit, qui nec sibi nec aliis prodest. Quo plus accepimus, eo plus à nobis repetetur. Videant ergo quantum à recta semita aberrent, qui in nihil agendo vitam consumunt; & qui otio suo non solùm abutuntur, sed etiam eo gloriantur. Apparet ex tertio versu, Alciatum in desidiosos monachos inuectum esse hoc emblemate.

Inuidia. LXIIII.

Squallida vipereas manducans fœmina carnes,
Cuique dolent oculi, quæque suum cor edit.
Quam macies, & pallor habent, spinosaque gestat
Tela manu, talis pingitur Inuidia.

COMMENTARIA.

Inuidiam ad vnguem exprimit Alciatus, oculis malignis, cibo venenato vtens, & ob prosperum aliorum successum proprium cor-

exedens. Alienis malis gaudet, iisq́; pascitur. Venenata animalia, si venenatis cibis vtantur, venenosiora multo redduntur. Verùm inuidi mala opera in seipsum semper retorquentur: Vnde vulgarum dictum. Inuidia Siculi non inuenere tyranni Maius tormentum. &, Inuidus alterius rebus macrescit opimis.

Auaria. LXV.

Heu miser in mediis sitiens stat Tantalus vndis,
Et poma esuriens proxima habere nequit.
Nomine mutato de te id dicetur auare,
Qui, quasi non habeas non frueris quod habes.

COMMENTARIA.

Cupiditas habendarum opum, nisi aliqua satietate cohibeatur, extrema pauperie longè deterior est. Tantalus nec sitim sedat, quum tamen sit in mediis vndis, nec famem, quum tamen tot poma prope se habeat. Auarorum verus typus, qui in affluentia inopes egestatis mala in vbertate patiuntur. Tantalus dictus, quasi τάλαν τάτος, infelissimus.

Gula. LXVI.

Curculione gruis tumida vir pingitur aluo,
Qui laron, aut manibus gestet onocrotalum.

Talis forma fuit Dionysi, & talis Apici,
Et gula quos celebres deliciosa facit.

COMMENTARIA.

Larus & Onocrolatus, aues voraciſſimæ, & quæ vix ac ne vix quidem vnquam expleantur, ob idq; à Poëtis toties decantatæ, dum gulosos exprimunt. Dionyſius & Apicius ab Athenæo non ſolùm recenſentur inter guloſos, ſed etiam primas inter eos tenere dicuntur. Apicius librum edidit de gulæ irritamentis: cujus excerpta ſeu fragmenta hodie legũtur in vulgares linguas conuerſa. Celebres ob gulam fuere etiam Gnatho Siculus, Publ. Gallonius, Æſopus, Clodius Albinus, Aſtydamas, Abron, & quamplurimi alij.

Maledicentia. LXVII.

Archilochi tumulo insculptas de marmore veſpas
Eſſe ferunt, linguæ certa ſigilla malæ.

COMMENTARIA.

Archilochus adeò virulentus & atrox in ſua poëſi fuit, vt ea Lycamben ſocerum ad laqueum adegerit. Hinc petulantes omnes & mordaces ſcriptores Archilochi nominantur. Veſpæ dicuntur affixæ tumulo Archilochi, quia non ſolùm raucæ & mordaces ſunt, ſed

etiam ab eis nec vlla delectatio, nec vllus fructus vnquam prodit, nihil videlicet præter aculeum habentibus.

Principis clementia. LXVIII.

Vesparum quòd nulla vnquàm Rex spicula figet,
Quòdque aliis duplo corpore maior erit,
Arguet imperium clemens, moderataque regna,
Sanctaque iudicibus credita iura bonis.

COMMENTARIA.

Quo quisque majori potentia præditus est, eo tardior esse debet ad puniendum. Vesparũ hîc nomen vsurpauit Alciatus καταχρηστικῶς: de apibus enim loquitur & de ipsarum rege, qui quamuis imperium in vniuersum aluecum habeat, non tamen eo abutitur. & licet forma insigni, & ab aliis dissimilis sit, tum magnitudine, tum nitore, natura tamen sæuum eum esse noluit; vtpote quæ ei aculeum detrahens, inermem ejus iram reliquerit. Imperator, qui Philosophi cognomen meruit, dicebat nihil magis Principem decere, quàm clementiam. quod & Theodosius, Arcadius, & Honorius AAA. confirmarunt suo edicto, cujus hæc formula. Si opprobrium ex leuitate processit, negligendum: si ex furore & insania, condolendum: si ab injuria, remittendum.

Æmulatio impar. LXIX.

[I]ltiuolam miluus comitatur degener harpam,
Et prædæ partem sæpe cadentis habet.
[N]ullum prosequitur qui spretas sargus ab illo,
Præteritasq́ auidus deuorat ore dapes.
[S]ic mecum Omnocrates agit: at deserta studentum
Vtitur hoc lippo curia tanquam oculo.

COMMENTARIA.

Inuehitur Alciatus in imperium quendam [l]egum doctorem, quem Minos scribit Ale[x]andrini nomen habuisse. Eum Alciatus me[d]ipotorem appellat, eumq́; maledicentiæ, vi[o]lentiæ, & stultæ cuiusdam imitationis & [i]mperitiæ notat: cui quum iuris abstrusa [s]cientia penitus incognita esset, volebat ta[m]en haberi pro magno Iurisconsulto. Miluus [&] harpa, aues voracissimæ: Mullus item, quem & barbatulum dicunt à gemina bar[b]a) & sargus pisces voracissimi. Miluus har[p]am sequitur, & mullus sargum, vt quod præ[st]antioribus exciderit, id sine labore asse[q]uantur.

Ira. LXX.

[Ca]lceam veteres caudam dixere leonis,
Qua stimulans iras concipit ille graues.
[C]ausa quum surgit bilis, crudescit & atro
Felle dolor, furias excitat indomitas.

P

Plinius caudam leonis ait indicem esse ipsius iracundiæ, sicut & aures in equis. Vbi immota est cauda (quod rarò accidit) placidior & clementior est: vbi irasci cœpit, primò terra verberatur ab ipsius cauda, quam Alcuã veteres nominarunt: deinde furore increscente, terga ipsa flagellantur. Ira, furor breuis est. Debemus igitur iræ impetum cohibere omnes occasiones vitando. Passio enim illa hominem extra se ita dejicit, vt in belluam ferocem eum transformet. Domanda igitur nobis est, sicq; compescenda & continenda, ne nobis possit vllum afferre nocumentum. Qui eam vicerit, hostem omnium maximum & perniciosissimum se vicisse dicere poterit. humor ille in corpore humano vt plurimùm viridis est, quamuis eum atrum dicat Alciatus attamen pro vario diuersorum corporũ temperamento, color immutatur, prout flaua bilis, vel atra, vel sanguis, vel phlegma in corpore dominantur.

Philautia. LXXI

Quòd nimiùm tua forma tibi Narcisse placebat,
In florem & noti est versa stuporis olus.
Ingenij si marcor, cladesq; philautia, doctos
Quæ pessum plures datq;, deditq; viros,

Qui

Qui veterū abiecta methodo, noua dogmata quærunt,
Nilq; suas præter tradere phantasias.



COMMENTARIA.

Hoc emblemate docemur quàm periculosum sit in amorem sui incidere: φιλαυτία enim amorem inuidiam audaciam, & desidiam facit, ac turpissimam ignorantiam alit. Qui sui laudator fuerit, malignos vicinos habet. Quod etiam à Nymphis fuit Narcisso prædictum, multos scilicet illum osuros: seipsum enim amabat. Hoc vitium quum vbiq; malè audiat, præcipuè tamé in Musarum alumnis,

Lasciuia. LXXI

Delicias, & mollitiem mus creditur albus
Arguere, at ratio non sat aperta mihi est,
An quòd ei natura salax, & multa libido est?
Ornat Romanas an quia pelle nurus?
Sarmaticum murem vocitent plerique Zibellum,
Et celebris suaui est vnguine mus sus Arabs.

COMMENTARIA.

Omnis suffitus salax, & mali ominis, præcipuè in mulieribus: illa enim bene olet qu nihil prorsus olet: muscus autem & zibeth & quicquid luxus & aulæ magnatum adinuenerunt, arguunt animum mollem & ad luxuriem propensum. Speciali vocabulo vtitur Alciatus, vsurpans nurus pro quauis muliere. Sarmaticum murem dicit, quem alij æluru nominant. Sunt autem & mures & feles salacissima animalia.

Temeritas. LXXII

In præceps rapitur, frustrà quoque tendit habenas
Auriga, efferæ: quem velit oris equus.
Haud facilè huic credas, ratio quem nulla gubernat
Et temerè proprio ducitur arbitrio.

COMMENTARIA.

Qui præcipitem se dat libidini & iracundiæ, vix vnquam bonum vitæ exitum sor-

ti-

tur. Ratio dominari debet ſenſibus & paſſionibus noſtris, ni velimus ſortem noſtram multo peiorem eſſe, quàm belluinam. Equi effrenes aſſimilantur corpori noſtro; mens autem ratione prædita, aurigæ. Sed principiis obſtandum eſt: auriga enim, qui libariorem curſum ab initio ſuis equis permiſerit, vix ac ne vix quidem poterit poſtea illis commodè vti. Arceri debent autem ab adminiſtratione reip. qui ſibi non poſſunt imperare. Quo pacto enim poterit, vti par eſt, aliis præeſſe, & illos moderari, qui ſeipſum paſſionibus ſuis permittit?

Garrulitas. LXXIIII.

Quid matutinos Progne mihi garrula ſomnos
Rumpis & obſtrepero Daulias ore canis?
Dignus epops Tereus, qui maluit enſe putare,
Quàm linguam immodicam ſtirpitus eruere.

COMMENTARIA.

In garrulos ſcriptum eſt hoc emblema, qui ſemper malè audierunt: Raro etiam accedit, vt qui judicio & ratione valeant, garruli ſint. Hirundinem ſub eodem tecto ne habeas, dicebat Pythagoras, innuens quàm moleſta ſit conuerſatio cum garrulis. In hieroglyphicis hirundo garrulitatem deſignat. Videtur Alciatus confundere hirundinem cum luſcinia:

verùm de earũ distinctione adhuc sub judice lis est inter Grammaticos. Multa de hac fabula Thucydides, Pausanias, & Strabo. Daulias à Poëtis dicitur luscinia, vt & Daulia & Daulis, quia in Daulide vrbe (quæ quondam sub ditione regis Thraciæ fuit) ferunt eam in auem sui nominis commutatam fuisse. Tereus in vpupam mutatus fuit, vnde Epops cognominatur, idq; ἀπὸ τοῦ πῶ πῶ vbi, vbi, quòd vbique filium quæritaret. Dignam hac pœna dicit eum Alciatus, quia quum linguam prorsus auellere debuisset, partem ipsius solummodo abscidit.

Vino prudentiam augeri. LXXV.

Hæc Bacchus pater, & Pallas communiter ambo
Templa tenent: soboles vtraq; vera Iouis:
Hæc caput, ille femur soluit: huic vsus oliui
Debitus, inuenit primus at ille merum.
Iunguntur meritò. quòd si qui abstemius odit
Vina, deæ nullum sentiat auxilium.

COMMENTARIA.

Non solùm Pallas & Bacchus altare seu tẽplum commune habuerunt, sed & Ceres & Neptunus, quod absq; sale, cibi pœne omnes insipidi sint: vt & Hercules & Musæ: Euandrum enim litteras docuit Hercules: Mercurius & Venus, quia matrimonij voluptas blandà

da ratione condiri debet: Suada & Gratiæ, quia conjuges inter se non imperio sed persuasione vti debent. Vino vites aluntur, sanguis colorq; hominum, mens, & partes nobiliores. Fomes ingenij dicitur esse vinum, virtutisq; incitamentum. Sed hæc omnia si moderatè sumantur, prudenterq; versemur in cibo & potu, vt & fieri par est in reliquis omnibus actionibus. Vterq; & Pallas & Bacchus, Iouis soboles est, hic primò ex Semele, deinde ex coxa Iouis; Pallas verò ex ipsius capite.

Prudens magis quàm loquax. LXXVI.

Noctua Cecropijs insignia præstat Athenis,
Inter aues soni noctua consilij.
Armiferæ meritò obsequijs sacrata Mineruæ est,
Garrula quo cornix cesserat ante loco.

COMMENTARIA.

Ciuitas firmatur optimis moribus ac legibus, sed præcipuè sapientia, consilio maturo, & recta prudentia, spreta inani hominum loquacitate. Loquaces & delatores, etiamsi vt plurimum veritatem dominis referant, nihilominus tandem odio habentur, & à dominis ablegantur. Delator & adulator ferè idem sunt: & pauci adulatores, qui non sint detra-

[illegible] & vice versa. Cecropiæ Athenæ dictæ, a Cecrope rege, & Athenienses Cecropidæ. [illegible] M[illegible]quam dicit Alciatus, quod [illegible] ipsius præsidiis satis instructa [illegible] maximas & difficillimas res obeundas. [illegible] in hieroglyph. prudentiæ & sapientiæ symbolum est.

Vis naturæ. LXXVII.



Pana colunt gentes (naturam hanc dicere rerum est)
Semicaprumq; hominem, semiviruumq; Deum:
Et vir pube tenus, quod nobis insita virtus
Corde oriens, celsa verticis arce sedet.
Hinc caper est, quia nos natura in secla propagat
Concubitu, ut volucres, squamea, bruta, feras.
Quod commune aliis animantibus, est caper index
Luxuriæ, Venerisq; signa aperta gerit.

Cordi

Cordi alij sophiam, alij tribuere cerebro:
Inferiora modus, nec ratio vlla tenet.

COMMENTARIA.

Tertium hujusce emblematis versum alij sic legunt, *Vir tenus vmblico est, hominum quòd propria virtus.* Sensus idem. Pan, qui & symbolum humanæ naturæ censetur, è diuersis naturis cõflatus fingitur, quia homo prudentia & mente diuinitatem redolet, reliquas corporis facultates cum belluis communes habet. Pan quomodo olim coli solitus sit, consule Lactantium, D. Augustin. Phornutum, Gyraldum, Eusebium, Seruium. Mentem & rationem plerique omnes philosophi in capite locant, nonnulli in corde, quia in eo vitæ principium,

Ars naturam adiuuans. LXXVIII.

Vt Fortuna pilæ, cubo sic insidet Hermes:
Artibus hic, varijs casibus illa præest.
Aduersus vim Fortunæ est ars facta: sed artis,
Quum Fortuna mala est, sæpe requirit opem.
Disce bonas artes igitur, studiosa iuuentus,
Quæ certæ secum commoda sortis habent.

COMMENTARIA.

Consultum est, eas sibi possessiones parare, quæ naui fracta simul cum possessore ena-

cent. Diuitiæ, & reliqua caduca bona, nostra propriè nequeunt dici. Non enim in nobis situm est iis in æternum frui. At artes, scientiæ, doctrina, ad tumulum vsque possessores comitantur, immò & post mortem durãt. Sphæra, omnium figurarum instabilior, cubus verò stabilitatem ipsam designat, & firmum statumq; studiorum & artium liberalium fundamentum. Herma à Græcis pro fundamento ponitur, vt ait Festus.

Fatuitas. LXXIX.

Miraris nostro quòd carmine diceris Otus,
Sic vetus à proauis cùm tibi nomen Otho.
Aurita est, similes & habet cen noctua plumas.
Saltantemq́ auceps mancipat aptus auem.
Hinc fatuos, captu & faciles, nos dicimus Otos,
Hoc tibi conueniens tu quoq; nomen habe.

COMMENTARIA.

Otis, siue Otus, bubone minor, major noctua, auribus plumeis eminentibus, vnde illi nomen. quidam eum Asionem indigetant. Auis est imitatrix, parasitica, & saltatrix: facilè capitur. Et similem esse dicit Alciatus Othonem, vanum scilicet hominem, ad aucupandam gloriam pronum, ineptum & gloriosulum. Mancipat, id est, manu capit.

Dolus

Dolus in suos. LXXX.

Altilis allectator anas, & cærula pennis
Adsueta ad dominos ire, redire suos,
Congeneres cernens volitare per aera turmas,
Garrit, in illarum se recipitque gregem,
Prætensa incautas donec sub retia ducat.
Obstrepitant captæ, conscia at ipsa silet.
Perfida cognato se sanguine polluit ales,
Officiosa aliis, exitiosa suis.

COMMENTARIA.

Hoc emblema in quosuis proditores scriptum est, qui sub larua amicitiæ & familiaritatis alios illaqueant, sed præcipuè in eos qui patriam produnt. Illos similes esse dicit anatibus cicuratis & domesticis, qui edocti sunt à dominis suis alios anates in retia allicere. Non solùm autem anates ita edocentur, sed & columbæ. Anas dicitur à natando, altilis verò, quòd domi alatur.

Nil reliqui. LXXXI.

Scilicet hoc deerat, post tot mala denique nostris
Locustæ ut raperent quicquid inesset agris.
Vidimus innumeras Euro duce tendere turmas,
Qualia non Atylæ, castráve Xerxis erant.
Hæ fœnum, milium, corda omnia consumpserunt,
Spes & in angusto est, stant nisi vota super.

COMMENTARIA.

Quam vastitatem & desolationem locustæ frugibus & herbis afferant, ex historiis apparet. Credit doctissimus vir Claudius Minos Alciatum hîc deflere calamitatem illam, quę circa annum 1541. totam fere Insubriam perdidit. Refert etiam varias strages quæ ab his insectis factæ fuerunt circa regnum Poloniæ, in Africa, in Gallia, in Ægypto, in Iudæa, in agro Brixiano, alibi. Cassius Dionyssius de agricultura libro 13. capite 1. tradit varia remedia à veteribus prodita ad arcendas locustas. Eurus, ventus est orientalis, calidus. Atyla, Scytharum rex, qui in campis Catalaunicis à Gallorum rege, Aëtio Romanorum duce, & Theodorico Gotthorum rege, magna clade affectus fuit, quum tamen in exercitu suo 500000. armatorum haberet. in quo conflictu 180000 vtrimque cæsa sunt, Hunnis tamen victis. Xerxes innumerabilem etiam exercitum habuit, 23 scilicet myriadas in nauibus, & 170. myriadas terra. Corda, non à cor cordis, sed à cordum cordi, quod est secundum fœnum. Alij pro corda legunt farra. Stragem autem illam, quam potissimùm deflet Alciatus, verisimile est sequutam bella, quæ tunc temporis Italiam afflixerunt.

Inanis

Inanis impetus. LXXXII.

Lunarem noctu, ut speculum, canis inspicit orbem:
Séque videns, alium credit inesse canem,
Et latrat: sed frustrà agitur vox irrita ventis.
Et peragit cursus surda Diana suos.

COMMENTARIA.

Carpit Alciatus obtrectatores quosdam & maledicos, qui quum doctrinæ vberem quandam gloriam in magno aliquo & excelso viro conspiciunt, citiùs proscindunt eum conuiciis, quàm imitentur: πολλὰ γὰρ μωμήσεται ῥᾷόν ἐστιν ἢ μιμήσεται. Canis, quum lunæ allatrat, credit latratu suo se posse illius cursum sistere. Canis, inuidiæ & obtrectationis typus. in beneficiis vinci turpe est, in conuiciis verò vincere. Qui conuiciis appetitus tacet, is conuicia retorquet in conuiciatorem. Nulla auribus juncundior musica, quàm vbi vnus tacet, dum alter conuiciatur. Vltionis contumeliosissimum genus est, quum conuiciator indignus visus est, à quo vltio peteretur. Diana pro luna accipitur apud poëtas.

In garrulum, & gulosum. LXXXIII.

Voce boat torua, prælargo est guttere, rostrum
Instar habet nasi multiforisque tubæ.
Deformem rabulam, addictum ventrique, gulæque

Signabit, volucer quum Truo pictus erit.

COMMENTARIA.

Onocrotalus, qui & Truo, nasum instar tubæ habens, gutturis est amplissimi, & vocis clamosissimæ, ita vt ruditum afini dicas. Sic quidam γαργαλιστικοὶ suo inconditto clamore, importunoq; garrulitate, cælo mare conturbare videntur, quum tamē odiosa sua loquacitate dent sine mente sonum. Hi adeo ingluuiei dediti sunt, vt nihil illis sit præter podicem & linguam, vt Gallis in prouerbio est: γλωσσογάστορες verè dicti. Hi tamen ab imperita multitudine plurimi fiunt. Boat, translatio à bobus. Rabula, vel à radendis auribus, vel à rabie, vel à raui, id est raucitate.

Opulenti hæreditas. LXXXIIII.

Patroclum lassis rapiunt hinc Troës in armis,
Hinc socij, atque omnis turma Pelasga vetat.
Obtinet exuuias Hector, Græciq; cedunt.
Hæc fabella agitur, quum vir opimus obit.
Maxima rixa oritur tandem sed transfigit hæres,
Et coruis aliquid, vulturijq; sinit.

COMMENTARIA.

Patroclus diuitum typus est qui falsis armis, non proprijs belligerant: id est, opibus & diuitijs, quæ externa, non propria bona sunt.

Suc-

Succūbit tandem homo & prosternitur, quòd ejusmodi præsidiis felicitatem suam metui non debeat. Exuvias vsurpauit, pro præda, quæ hosti detrahitur. Corui dicuntur, qui senibus sine prole, sibi consanguineis, ceu cadaueribus inhiant, captantes testamenta in rem suam. Vulturios eos nominat, qui ex mortuis lucrum captant, siue eos terræ mandando, siue eorum facultates publicis registris annotando.

Mediolanum. LXXXV.

Bituricis veruex. Heduis dat sucula signum.
His populis patriæ debita origo meæ est,
Quam Mediolanum Sacram dixere puellæ
Terram: nam vetus hoc Gallica lingua sonat.
Culta Mineruæ fuit, nunc est ubi numine Tecla
Mutato matris virginis ante domum.
Laniger huic signum sus est, animalq; biforme
Acribus hinc setis, lanitio inde leui.

COMMENTARIA.

Mediolanum, metropolis Galliæ cisalpinę, condita 359 annis ante Christum natum, sic dicta à sue mediatum lanato Bituriges, Aquitaniæ populi, quorum metropolis est Biturix; quæ pro stemmate arietem gerit, quem hîc Alciatus veruecem nominat: academiâ florentissima celebris, in qua Alciatus per

quinquennium jus professus est. Hedui, qui & Augustodunenses, Galliç populi, in ducatu Burgundiæ & Francorũ regno siti, de quibus toties Cæsar. Ij habent suem pro stemmate. Veteri lingua Gallica dicit Alciatus Milan dictum, quasi dicas mediatim lanatum. Docti pleriq; autumãt Gallicam linguã olim aliam fuisse, quàm nunc sit. Mediolani olim Minerua colebatur, nunc autem Tecla, Pauli discipula, quæ sub Nerone martyr fuit.

Nunquàm procrastinandum. LXXXVI.

ALCIATÆ gentis insignia sustinet Alce,
Vnguibus & μηδὲν fert ἀναβαλλόμενος.
Constat Alexandrum sic respondisse roganti,
Qui tot obiuisse tempore gesta breui:
Nunquã, inquit, differre volens, quod & indicat Alce:
Fortior hæc dubites, ocyor anne siet.

COMMENTARIA.

Familiæ suæ gentilium stemma nunc proponit Alciatus, Alciatos ab Alce fera nuncupatos innuens: tacitè indicans commendabiles eos esse ob fortitudinem & diligentiam. Alce enim equi robore, & cerui celeritate prædita est, & ni aurium & ceruicis proceritas distingueret, iumento persimilis. Quod quidem

dem appositè illustrat eleganti Alexandri apophthegmate, qui quærenti, qua tandé via tanta adeò celeriter comparasset, respondit, μηδὲν ἀναβαλλόμενος, nihil differendo aut recrastinando. Optima siquidem & accommoda belli comes est festinatio. Is terdecem stadiis continuo itinere confectis, antequam quietem caperet exercitus, cum hostibus conflixit, & eos vicit, vt Ælianus refert. Vltimo versu indicat Alciatus vires & celeritatem in bello pares esse debere: quòd si alteri non respondeat, funestum exitium indubitanter expectandum est.

Gramen. LXXXVII.

Gramineam Fabio tribuêre corollam,
Fregerat vt Pœnos, Hannibalémq; mora.
Occulit inflexo nidum sibi gramine alauda,
Vulgo aiunt, pullos sic fouet illa suos.
Saturno Martiq; sacrum, quo Glaucus adesō
Polybides, factus creditur esse Deus.
His meri ò argui ur nodis tutela, salusq;:
Herbaq; tot vires hæc digitalis habet.

COMMENTARIA.

Corona graminea, quæ & obsidionalis, duci dabatur ab iis quos obsidione liberarat, ait Gellius: fiebatq; è gramine quod eo loco natum erat, intra quem clausi erant obsessi,

Hanc coronã quà nulla alia nobilior, s. p. q. r. Fabio Maximo dedit bello Punico secundo quòd vrbem hostium obsidione liberasset Annibalem mora frangens. Patres dicti Romani Senatores. Alauda, quæ & Galerita. *Ramosum gramen nido occultatur alaudæ.* Glaucus piscator Anthenodius, natandi peritissimus, quum magnam piscium multitudinem cepisset, onere defatigatus, eos ad ripam fluminis abjecit, quorum vnus moribundus. vbi herbam sibi proximam gustasset, reuixit, ac in fluuium prosiliit: quod quum animaduertisset Glaucus eadem, herba comesa, immortalitatem adeptus est. Gramen Saturno & Marti sacrum est: Saturnus enim id seminauit, & gramen deorum appellauit: idq; in Martio campo Romæ crescebat, & ex eo coronæ Martiales fiebant. Polybidas dictus Glaucus, quia Polybi filius, vel διὰ τὸν πολὺν βίον ἰδεῖν. Nodis distincta est hæc herba, & spatium, quod nodis interjacet, non malè digitus appellari potest. Inde digitalis herba: quod epitheto Aristolochiæ etiam competit.

Iudicum abstinentia. LXXXVII

Marmoreæ in tumulis vna stat parte columnæ
Vrnicus ex alia cernere malluuium est.
Ius hæc forma monet dictum sine sordibus esse,
Defunctus

Defunctum purus atq; habuisse manus.

COMMENTARIA.

Vrceus & malluuium recti judicis symbola sunt & notæ. hæc enim duo sepulcro iudicis imposita, defunctis in administranda justitia æquitatem & innocentiam arguunt. Quæ virtutes vt judicem quemque maximè commendant, sic, ab eo si abscedant, non iudex, sed impius & inhumanus carnifex habendus est. Debet judex perpetuò meminisse se Deũ habere judicem, cujus oculum nihil effugere aut præterire possit. Manuum ablutio olim fuit innocentiæ quædam aperta demonstratio. Lauabo inter innocentes manus meas, dicebat regius psaltes Dauid: quod perperam imitatus est Pilatus, crimen in Iudæos rejiciens. Vrceus, vas terreum aut æneum ad aquam excipiendam vel hauriendam. Malluuium, siue pollubrum, vas est, siue lebes ad manus abluendas, quasi manu lauium. Iudex, vt ait Varro, juncto verbo dicitur qui jus dicit. Puras manus habere dicuntur qui purè atque integrè vitam transigunt.

Omnia mea mecum porto. LXXXIX.

Hunnus inops Scythicisq; mi... .rrimus ... Ponti,
Vsius perpetuis ...a membra gelu:

Qui Cereris non nouit opes, nec dona Lyæi,
Et pretiosa tamen stregula semper habet:
Nam murinæ illum perstringunt undique pelles:
Lumina sola patent, cætera opertus agit.
Sic furem haud metuit, sic ventos temnit & imbres,
Tutus apudq; viros, tutus apudq; deos.

COMMENTARIA.

Biantis apophthegma huic emblemati pro inscriptione est: Animus hominis pendere nõ debet ex ijs quæ caduca sunt & fortuita, quęque sollicitudines, & cruciatus innumerabiles pariunt: sed ea tantùm nobis satis sint quę benigna natura nobis elargita est, vel quæ ab ingenio proficiscuntur. A Iustino historico petitum est hoc emblema, qui Scytharum vitam in hunc modum describit: Scythis inter se fines nulli: nec enim agrum colũt, nec domus illis vlla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Vxores, liberosque secum in plaustris vehunt: quibus, corijs, imbrium hyemique causa, tectis, pro domibus vtuntur. Iustitia gentis ingenijs culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto grauius, &c. Aurum & argentum perinde aspernantur, ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle vescuntur. Lanæ ijs vsus ac vestium ignotus: pellibus

pellibus ferinis aut murinis vestiuntur. Hæc continentia, illis quoque morum iustitiam dedit, nihil alienum concupiscentibus, &c. Vrere etiam dicitur frigus, & hoc verbum etiam pro molestiam ex bere vsurpatur. Vsum panis & vini Scythæ non habent, quæ dona dicuntur esse Cereris & Bacchi, qui Lyæus dictus est ἀπὸ τοῦ λύειν, quòd hominum membra & animos dissoluat. Vnica Scythis vestis est, quæ non deponitur aut mutatur ante quàm carie diuturna in pannulos deflaxit defrustata. Qui nihil habet, non metuit fures nec latrones. Qui beatus esse vult, nihil concupiscat, rixa enim inter competitores: nihil habeat quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. Nudum latro transmittit: ad philosophiam confugiat, & ad artes liberales, quæ viris bonis insularum loco sunt, vt docet Seneca.

Pudicitia. XC.

Porphyrio, domini si incestet in ædibus uxor,
Despondetq; animum, præq; dolore perit.
Abdita in arcanis naturæ est causa, sit index
Syncera hæc volucris certa pudicitiæ.

COMMENTARIA.

Ælianus, Athenæus, alij, precipuè ex neotericis, aiunt, Porphyrionem muliebris pudici-

uię obseruatorem esse, matrisq; familias adulterium suspendio suo indicare. Ælianus in libris de historia animalium pleraque ex iis recenset quę pudicitiam syncerissimè colunt, & læsam seuerissimè puniunt. Incestus propriè est flagitium quod in affines admittitur, sed & pro quauis libidinosa ,pollutione accipitur. Despondere animum, pro vitam finire, à probatis auctoribus vsurpatur, licet apud Ciceronem non reperiatur. Causa cur hæc à Porphyrione fiant, in arcanis abdita est quod Philosophi causam ocultam appellant. Simile est quod de magnete quæritur, cur ferrum trahat, cur succinum paleam.

Vespertilio. XCI.

Assumpsisse suum volucri ex Mineide nomen,
Socrat c .m Auctores Chærephoonta ferunt.
Fusca viro facies, & stridens vocula, tali
Hunc hominem potuit commaculare nota.

COMMENTARIA.

Chærephon Atheniensis, Socratis discipulus, tam pertinaciter libris incubuisse fertur, vt lucubrationis nocturnis extenuatus, maximum pallorem, maciémque contraxerit, vt vulgari joco Noctua, vel, vt aliis placet, Vespertilio sit vocitatus. Mineides, sorores Thebanæ, quum Liberi patris sacrificia in con-

emptum raperent, Mineruæ lanificio additæ, ex improuiso, quadam numinis vi, clangore tubiarum & tympanorum sono perterritæ, telis instrumentisq; suis in vites ac hederam repente commutatis, omniq; loco feris repleta, noctu fugientes, in vespertiliones transformatæ sunt. Ouidius 4. Metamorph. Hinc volucrem Mineidem, pro vespertilione dixit Alciatus Indefessus in studiis artium liberalium labor maciem affert, macies verò vocem proculdubio minuit: lucernarum autem fuligo fuscam faciem reddit.

Aliud. XCII.

Vespere quæ tantùm volitat, quæ lumine lusca est,
Quæ quum alas gestit, cætera muris habet,
Ad res diuersas trahitur mala nomina primùm
Signat, quæ latitant, iudiciumq; timent.
Inde & philosophos, qui dum cælestia quærunt,
Caligant oculis, falsaq; sola vident.
Tandem & versutos, quum clam sectentur vtrumq;,
Acquirunt neutra qui sibi parte fidem.

COMMENTARIA.

Vespertilio dict⁹, quòd vespere volitet. Hoc nomen autem triplici hominum generi accommodat Alciatus. Primò iis, qui grauati ære alieno, ob idq; mala nomina à latinis auctoribus nominati, noctu tantùm prodeunt, ne

à creditoribus offendantur, & in jus quoquo modo vocentur:& ad hos referuntur hæc verba, *Vespere quæ tantùm volitat.* Deinde conuertitur id nominis in quosdam rigidos Philosophiæ satellites, qui omnino cæcutiunt, dum ea quæ sunt abstrusa prorsus atque abdita scrutantur, ac rerum cælestium naturam conquirunt, quę à nobis longè remotæ, neq; oculis intueri, neque tangi manu, neque percipi sensibus possunt:& tamen sic de iis disputare audent, vt quæ asseruerint, probata certaque videri velint. Ad hos refertur hoc membrum, *quæ lumine lusca est.* Tertiò & postremò, nomen hoc traducitur in callidos & versipelles ancipitis fidei homines, qui nec hujus ordinis sunt, nec illius: cum vtroque tamen colludũt, & plerumq; tanta dexteritate res agunt suas, vt cum vtraque parte communicandi jus habere videantur, & vtramque (vbi collibuerit) conuiciis proscindere & ridere, vel vtramque probare & extollere. Genus hominum certè vt versatile & infidum, sic detestandum maximè & exsecrandum. Ad hos respiciunt hæc verba, *Quæ quum alas.*

Obliuio paupertatis parens. XCIII.

Quum lupus esuriens mandit ceruarius escam,
Præq; fame captum deuorat hinnuleum,
Respiciat si fortè alio, vel lumina vertat,

Præsentem

Præsentium oblitus quem tenet ungue cibum,
Quæritat incertam (tanta est obliuio) prædam.
Qui sua neglexit stultè aliena petit.

COMMENTARIA.

Plinius,& Solinus Polyhistor testantur, adeò obliuiosum esse Lupum ceruarium, vt quamuis post lõga jejunia repertas ægrè carnes mandere cœperit, vbi quid casu respexerit, obliuiscatur, & copiæ præsentis immemor,aliud quærat Idem contingit amb tiosis & auaris, qui spe honoris amplioris & commodi,in quo sit vberior quęstus,neglecta pręsenti sorte,venantur aliam. Fitque sæpenumero,& meritò,vt vtraque frustrentur.Cujus rei exempla innumera passim in historiis leguntur.

Impudentia. XCIIII.

Pube tenus mulier,succincta latrantibus infra
Monstrorum catulis,Scylla biformis erat.
Monstra putantur,auarities,audacia,raptus.
At Scylla est nullus cui sit in ore pudor.

COMMENTARIA.

Scyllam Phorci filiam, Glauci amore captam, Circe, quòd eundem deperiret, sic affecit,vt fontem,in quo Nympha se lauare consueuerat, veneficiis & magicis herbis infece-



rit: cujus rei nescia Scylla, fontem de more ingressa, inferiores corporis sui partes in caninos rictus vidit esse commutatas: quam tantam deformitatem horrens, in mare se præcipitem dedit & in saxum mutata Poëtis argumentum fabulę prębuit. Vide Homerum odyss. μ. Ouidium 4. metamorph. 4. de Tristibus & 6. Fastor. Heraclidem Ponticum, Iustinum lib. 4. Nannium 6. Miscellan. alios. Sallustius saxum putat esse in mari prominens, quod procul visentibus muliebrem formam representet, in quod illisi fluctus, quoniam & luporum ejulatum, & canum latratum videntur imitari, finxerunt illam pube tenus feris hujusmodi succinctam esse. Alcia-

tus

tus id apposité transtulit ad impudentiam, quæ tribus potissimùm vitijs rabidissimis comes esse soleat, auaritiæ, siue rapinę, audacię, inuidiæ, quæ sub eleganti aut viri aut mulieris forma plerumque latitant. Quid enim non audeat impudens, qui nihil non sibi permittit, turpe putat nihil?

Doctorum agnomina. XCV.

Moris vetusti est, aliqua professoribus
Super addi cognomina.
Faciles operióq; explicans tantùm locos.
Canon vocatur Curtius.
Reuoluitur qui eodem & iteráta; nimis
Mæander, vt Parisius.
Obscurus & confusus, vt Pi us fuit,
Labyrinthus appellabitur.
Nimis breuis, multa amputans, vt Claudius,
Mucronis agnomen feret.
Qui vel columnas voce rumpit, Parpa'us,
Dictus trua est scholasticis.
Contra est vocatus, tenuis esset Albius
Quòd voce, vespertilio.
At vltimas mutilans colobotes syllabas,
Hirundo Crassus dicitur.
Qui surdus alijs solus ille vult loqui,
Vt sturnus in prouerbio est.
Hicbl'æ us ille raucus, iste garriens.
Hic sibilat ceu vipera.

Tumultuatur ille rictis & naribus.
Huic lingua terebellam facit.
Singultit alius, atq; tussit hæsitans.
Conspuit alius vt psyllas.
Quàm multa rebus vitia in humanis agunt,
Tam multa surgunt nomina.

COMMENTARIA.

Consuetudine quadam deprauata sic comparatum est, vt citiùs vitia quàm virtutes obseruemus, & maximè in iis qui litteras profitentur. Quod hîc facit Alciatus in quibusdam superioris sæculi Iurisconsultis, vel etiã in aliquot aliis, qui suo tempore minùs aptè jus ciuile profitebantur (quorum tamen nomina reticet) vnde singuli singula in scholis cognomina sunt sortiti, quibus notaretur ingenij vel naturæ proprium & peculiare vitium in legibus enucleandis. Magnum profectò onus est, atque munus, (vt ait Cicero primo de natura Deorum) suscipere atque profiteri sese, omnibus silentibus, vnum, maximis de rebus, magno in hominum conuentu audiendum. Adest enim ferè nemo, quin acutiùs atque acriùs vitia in dicente quàm recta videat. Ita quicquid est in quo offenditur, id etiam illa quæ laudanda sunt, obruit: & quoties dicimus, toties de nobis judicatur. Nec quicquam est tam insigne, nec

tam

tam ad diuturnitatem memoriæ stabile, quàm id in quo deliqueris. Hucusq; Cicero. At istæc licentia, & deprauata consuetudo, reprimēda erat. Siquidem conuicia, quæ torqueri solent ob ea quæ sunt in corpore vel in fortunis hominum vitiosa, proficiscuntur ab animis parum sanis. Mæander, est flexuosus & sinuosus fluuius. Columnas rumpere prouerbialiter dicitur de ijs qui stentorea voce aures auditorum obtundunt. Truo, auis, de quo suprà embl. 83. hujusce secundi libri. Colobotes, mancus & decurtatus. κολοβόω, comminuo, detrunco. De Sturno vide Plin. lib 10. cap. 24. & Volaterr. in Philolog. Psecas, stillicidium vel gutta, aut stilla: cognomen Antimachi lyrici, quòd identidem expueret.

In quatuor tempora anni. XCVI.

Aduenisse Hyemem Frigilla renunciat ales.
Ad nos Vere nouo garrula Hirundo redit.
Indicat Æstatem sese expectare Cuculus.
Autumno est tantùm cernere Ficedulas.

COMMENTARIA.

Credo Alciatum nihil aliud spectasse in hoc emblemate, nisi vt nos doceret à quibus auibus certum præsagium quatuor anni tempestatum sumere debeamus. Frigilla, auis à frigore dicta, Hirundo, nemini nota non est, de

qua & prouerbium, vna hirundo non facit ver. Cucullus, ll geminato ob versum. De eo vide Embl. 19. huiusce secundi libri. Ficedula, à ficubus edendis nomen habet, quum tamen vuis potiùs vescatur, Martiale teste.

Opulentia tyranni paupertas subiectorum. XCVII.

Humani quod splen est corporis, in populi re
Hoc Cæsar fiscum dixerat esse suum.
Splene aucto, reliqui tabescunt corporis artus:
Fisco aucto, arguitur ciuica pauperies.

COMMENTARIA.

Opulentia tyranni causa est subditorum inopiæ: vt & in corpore humano, si splen augeatur & tumescat, cæteris partibus tabem & maciem inducit. Tiberij, mali Principis, bonum hoc dictum fuit, Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. In hanc sententiã Cassiodorus epist. 37. libro 4. Qui fisci vtilitatem stabili volunt diuturnitate consistere, excludenda semper est enormitas dispendiosa, ne augmento suo tumens summa deficiat, incipiatq; magis deesse, quia immaniter visa est accreuisse. Et Plinius in Panegyrico: Quæ præcipua tua, Trajane, gloria est, sæpe vincitur fiscus: cujus mala causa nũquam est,

nisi sub bono Principe. Constans Imperator dicebat, opes publicas meliùs à priuatis pluribus haberi, quàm intra vnum Principis claustrũ reseruari. Et Isocrates ad Nicoclem, Argumentum hoc si tibi imperij rectè honesteq; administrati, vbi videris eos, quibus praees, tua diligentia curaq; locupletiores & ditiores factos. Fiscus, receptaculum nummorum est, sed propriè nummorum Principis.

Obnoxia infirmitas. XCVIII.

Pisciculos Aurata capit medio aequore Sardas,
Ni fugiant pauidae, summa marisq; petant.
Ast ibi sunt Mergis Fulicisq; voracibus esca.
Eheu intuta manens vndiq; debilitas.

COMMENTARIA.

Dites & qui sunt in re lauta, tutum in praesidium facilè se recipiũt: sed miseri & infirmi, quocumque fugiant, praecipites in infortunium ruunt. Quod minos, vir doctissimus, ait saepe litigatoribus vsuuenire, iis inquam, qui nullis opibus, nullis amicis, nullis fautoribus adjuti, à judice ad judicem temerè frustraq; prouocant, non minorem ab vno, quàm ab alio gratiam inituri. Enimuero, quod ait Comicus, pauper dum nihil habet quod offerat in judicio, non solùm non contemnitur,

ſed etiam aduerſus veritatem opprimitur. Aurata, marinus piſcis, ab auri colore dictus. Vide Plinium lib 32. cap 5. & 11. Sarda & Sardinia, piſcis exiguus, de quo Plinius eod. lib. cap. vltimo. Mergus, auis à mergendo dicta: cibum enim in aquis captans aſſiduè ſe immergit. Plin. lib 11. ca. 37. Fulix, ſiue fulica, auis marina, vel ſtagnenſis, paulò ſupra columbæ magnitudinem, de qua Plin lib 18. cap. 35.

Vel poſt mortem formidoloſi. XCIX.

Cætera muteſcent, coriumq; ſilebit ouillum,
Si confecta lupi tympana pelle ſonent.
Hanc membranam ouium ſic exhorreſcit, vt hoſtem,
Exanimis quamuis, non ferat exanimem.
Sic cute detracta Ziſcas, in tympana verſus,
Bohemos potuit vincere pontifices.

COMMENTARIA.

Odium luporum & ouium tam naturale eſt, vt ſi lupina pelle tympanum conficiatur, oues non longe adſtantes ſonũ exhorreſcant, ac ſi lupus prope gregem conſiſtat. ſunt etiam qui aſſeuerent, harmoniam nullam vnquam coituram ex ouis lupiq; tenſis ad concentum viſceribus. Si lupina pellis in ouili pendeat, oues pauore conterritas, omnino paſtum negligere: vtq; leonina inficit aliorum animalium pelles, ſic ouinam à lupina exedi & conſumi. Ait itaque Alciatus: Tympanum ex lupino

upino corio confectum si pulcetur, aliud ex uillo corio adjacens exhorrescit, vt prope- nodū nullum sonum edat, tametsi ouis mē- rana lupum mortuum non sentiat. Eodem nodo Ziscas, in tympanum versus, quibus in ita fuerat in bello formidolosus, post mor- em etiam eisdem terrori fuit. Corium, pro elle dixit Alciatus. Corium autem pelli ad- acet. membrana, superior pellis, quæ & per- amena dicitur, quòd ejus primus vsus Per- ami cœperit. Ziscas, dux bellicosissimus, in Teutones & Boëmos diu satis acri Marte onflictatus est. Itaque Sigismundus Impe- rator, quum videret Ziscæ cuncta ex animi ntentia succedere, & jam illum esse vnum, quo res Boëmiæ penderent, cōn sibi eum on iliare tentauit. Ille optimis conditioni- us ab Imperatore oblatis annuens, dum se ineri accinxisset, peste tactus expirauit. Fe- nt illum, quum ægrotaret, rogatum quo lo- mortuus vellet sepeliri, jussisse cadaueri o pellem adimi, carnes volucribus ac feris bjectari, ex pelle tympanum fieri, eoq; duce ila geri, indeq; arrepturos fugam hostes, uum primùm ejus tympani sonitū audirent. is addicit Krantzius. Fecisse amicos quod i e jusserat, & reperisse quod promiserat.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HISCE emblematibus & commentariolis habentur.

*

Belli

Fere-

Vltio

FINIS.